MEDULLA

S. THOMÆ AQUINATIS

SEU

MEDITATIONES

Ex operibus S. Thomæ depromptæ

II

APPROBATIO

Opus cui titulus : « *Medulla S. Thomæ Aquinatis*, etc. » libenter adprobamus, quippe quod eximiam exhibet synthesim dogmaticam, asceticam et mysticam, ex diversis Angelici Doctoris operibus collectam atque in utilitatem meditantis animæ congruo ordine dispositam.

Rijck'holti, in Hollandia, die 24 Augusti 1905.

Fr. Benedictus Maria CLAVÈRE, O. P.
S. Th. Mag.

Fr. Eduardus HUGON, O. P.
S. Th. Bac.

Imprimatur
Lugduni

Fr. Ferreolus VÉRON
Prior Prov.

Imprimatur

Parisiis, die 27 Octobris 1906.

P. FAGES, Vic. Gen.

Auctor editorque omnia jura proprietatis sibi vindicant.
Hoc opus, juxta leges, mense Januarii 1907, *fuit depositum.*

MEDULLA S. THOMÆ AQUINATIS

PER OMNES ANNI LITURGICI DIES DISTRIBUTA

SEU

MEDITATIONES

EX

OPERIBUS S. THOMÆ

DEPROMPTÆ

Auctore **P. D. MÉZARD**, Ordinis Prædicatorum.

TOMUS II

ALMA COLLEGE
24671
LIBRARY
M579
Alma, California

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

45258

BX
2170
C55
T56
1936
v.2

MEDULLA
S. THOMÆ AQUINATIS

1ª Julii

De excellentia divinæ naturæ.

1° Deus non comprehenditur tempore : æternus est. Dicitur vero æternus, quia caret principio et fine, et quia ejus esse non variatur per præteritum et futurum. Nihil enim ei subtrahitur, nec aliquid ei de novo venire potest. Unde dicit ad Moysen : *Ego sum qui sum* : quia ejus esse non novit præteritum et futurum, sed semper præsentialiter se habet.

2° Ejus magnitudo excedit incomparabiliter omnium magnitudinem creaturarum, nam est immensus. Illud mensurari potest per aliquid aliud, quod si excedat in magnitudine, tamen excessus est secundum aliquam proportionem. Sicut binarius mensurat senarium, in quantum

ter duo faciunt sex. Senarius autem excedit binarium secundum aliquam proportionem, secundum quam binarius mensurat senarium, qui est triplum ejus. Deus autem excedit magnitudine suæ dignitatis omnem creaturam in infinitum. Et ideo dicitur immensus, quia nulla est commensuratio vel proportio alicujus creaturæ ad ipsum. Unde dicitur in Ps. 144, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch., 3, 25 : *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.*

3° Deus excedit omnem mutabilitatem, nam est incommutabilis, quia scilicet nulla est apud ipsum variatio, secundum illud Jac., 1, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

4° Sua potestas transcendit omnia, nam est omnipotens, quia simpliciter omnia potest. Unde ipse dicit Gen., 17, 1 : *Ego Deus omnipotens.*

5° Excedit omnium rationem et intellectum, nam est incomprehensibilis. Illa enim comprehendere dicimus quæ perfecte cognoscimus quantum cognoscibilia sunt. Nulla autem creatura tantum potest Deum cognoscere quantum possibilis est, et propter hoc nulla creatura potest eum comprehendere. Unde dicitur Job., 11, 7 :

Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? quasi dicat, non. Et Jer., 32, 18 : *Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu.*

6° Excedit omnem locutionem ; nam est ineffabilis, quia scilicet nullus potest sufficienter effari laudem ipsius. Unde dicitur Eccl., 43, 33 : *Exaltate illum quantum potestis ; major est enim omni laude.*

(*In I Decret.*)

2 Julii

De Visitatione B. Virginis.

B. Virgo post conceptionem Christi, tria legitur fecisse per quæ tria designantur mystice quibus quælibet anima sancta post conceptum spiritualem Verbi Dei debet insistere : montana conscendit, Elisabeth salutavit et Dominum magnificavit. Per primum significatur virtutum perfectio ; per secundum fraterna dilectio ; per tertium laus et exultatio.

1° *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Dicit Glossa : « Accepto Virginis consensu, cœlestia petit Angelus, quem Virgo sequitur, quæ in montana progreditur. Sic anima quæ Verbum Dei concepit, virtutum cacumina aggressu amoris conscendit, ut civitatem Judæ, id est confessionis et laudis arcem penetret, et usque ad perfectionem fidei, spei et caritatis, quasi tribus mensibus in ea commoretur. » In hoc autem ascensu sunt tria : vallis timoris et humilitatis, ascensus laboris et difficultatis, cacumen amoris sive caritatis. Unde Bernardus : « Virtus vult cum humilitate doceri, cum labore acquiri, cum amore possideri. » Et cum his omnibus digna sit, non aliter doceri, acquiri vel possideri potest.

2° *Et intravit domum Zachariæ et salutavit Elisabeth.* Salutatio est salutis optatio : salutem vero optare proximo pertinet ad fraternam dilectionem ; quia hæc est vera forma diligendi proximum quæ exprimitur Matth., 22, 39 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Huic ergo dilectioni anima sancta, postquam spiritualiter Verbum Dei concepit, debet insistere, quia dicitur I Joan., IV, 12 : *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est.* Augustinus : « Beatus est qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. » Idem : « Ubi vera dilectio est, quid est quod possit deesse? Ubi

vero non est, quid est quod potest prodesse? »

3° *Magnificat anima mea Dominum.* Canticum illud est canticum laudis et exultationis, quod quælibet sancta anima, concepto Verbo Dei, potest decantare. Unde dicit Ambrosius : « Sit in singulis anima Mariæ Deum magnificans, sit in singulis spiritus Mariæ in Deo exultans. » Quid autem sit Deum magnificare, dicit Ambrosius : « Magnificatur Dominus, non quod ei aliquid humana laus adjungat; sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra, quæ ad imaginem Dei est creata, per justitiam se Christo conformat, qui est imago Patris. Et sic dum ipsum Christum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis ejus sublimior fit, ut ipsam imaginem splendido bonorum operum colore et quadam æmulatione virtutis videatur in se exprimere. » Origenes : « Quando magnificavero animam meam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cujus imago est, in anima mea magnificatur. » Beda : « Ejus anima Deum magnificat, qui omnes sui interioris hominis affectus divinis laudibus ac servitiis mancipat. Ejus spiritus in Deo salutari suo exultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla adversitas frangit, sed sola illius a quo speratur salus æterna, sui Conditoris memoria delectat. »

(*De Humanitate Christi.*)

3 Julii

De fructu cognitionis Dei.

Joannes Christi præcursor dicebat : *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, quasi dicere voluisset : non intelligatis ipsum mihi in dignitate præpositum, sicut unus homo præferatur alteri ; sed tam excellenter quod nihil sum in comparatione ad ipsum. Et hoc patet quia *non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus*, quod est minimum obsequium quod hominibus fieri potest.

Ex quo patet quod Joannes multum accesserat ad Dei cognitionem, in quantum ex consideratione infinitæ magnitudinis Dei se totaliter vilipendebat, et nihil se esse dicebat. Sicut Abraham, cum Deum cognovisset, dicebat Gen. XVIII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* ? Sic Job., 42, 7, cum Dominum vidisset, dixit : *Nunc oculus meus videt te ; idcirco ipse me reprehendo et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Sic Isa., 40, 17, postquam vidit gloriam Dei, dixit : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.*

Unde Gregorius : Mens humana quanto perfectius cœlestia bona cognoscit, tanto magis in se ipsa humiliatur. Et unusquisque vir sanctus, quanto altius ad contemplandam divinitatem se erexit, tanto apud se introrsum inferius cadit.

Secundum vero Gregorium, per calceamentum quod fit de pellibus mortuorum animalium intelligitur humana natura mortalis quam Christus assumpsit. Ps. 59, 20: *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Corrigia autem calceamenti ejus est ipsa unio divinitatis et humanitatis, quam nec Joannes nec aliquis potest solvere, nec potuit plene investigare, cum talis esset quod hominem faceret Deum, et Deum hominem, et ideo dicit : *cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*, id est ut explicem mysterium incarnationis. Intelligendum est plene et perfecte, nam quoquo modo et Joannes et alii prædicatores, licet imperfecte, solvunt corrigiam calceamenti.

(*In Joan.* I.)

4 Julii

De præsentia Dei ubique.

1° Deus est in omnibus rebus, non sicut pars es-

sentiæ vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit. Cum enim Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus ejus, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur, sicut lumen causatur in aere a sole, quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quæ in re sunt. Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime.

2° Est in omni loco, id est ubique: *Cœlum et terram ego impleo.* Jer. 23, 24. Sicut Deus est in omnibus rebus ut dans eis esse et virtutem et operationem, sic est in omni loco ut dans ei esse et virtutem locativam. Imo per hoc replet omnia loca quod dat esse omnibus locatis quæ replent omnia loca. Esse autem ubique primo et per se convenit Deo et est proprium ejus, quia quotcumque loca ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum seipsum.

3° Deus est ubique per essentiam, præsentiam et potentiam.

Deus dicitur esse in re aliqua dupliciter: uno

modo per modum causæ agentis, et sic est in omnibus rebus creatis ab ipso ; alio modo sicut objectum operationis est in operante, quod proprium est in operationibus animæ, secundum quod cognitum est in cognoscente, et desideratum in desiderante. Hoc secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura quæ cognoscit et diligit illum actu vel habitu. Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, dicitur esse hoc modo in sanctis per gratiam.

In rebus vero aliis ab ipso creatis quomodo sit, considerandum est ex his quæ in rebus humanis esse dicuntur. Rex enim dicitur esse in toto regno scilicet per suam potentiam, licet non sit ubique præsens. Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus quæ in conspectu ipsius sunt ; sicut omnia quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet parte domus. Secundum vero substantiam vel essentiam dicitur aliquid esse in loco in quo ejus substantia habetur.

Sic ergo Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur ; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus ; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi.

(1ª q. VIII.)

5 Julii

De immutabilitate Dei.

I. — Est mos sive perfectio in Deo quod immutabilis est in sua natura, ipso testante in Propheta Malach., III, 6 : *Ego sum Deus et non mutor.* Omne enim quod movetur, motu suo aliquid acquirit et pertingit ad illud ad quod prius non pertingebat. Deus autem cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus.

Dicitur quidem Sap., VII, 24, de sapientia quod est *mobilior omnibus mobilibus.* Sed sapientia dicitur mobilis esse similitudinarie, secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum. Nihil enim esse potest quod non procedat a divina sapientia per quamdam imitationem, sicut a primo principio effectivo et formali, prout etiam artificiata procedunt a sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divinæ sapientiæ gradatim procedit a supremis quæ

magis participant de ejus similitudine usque ad infima rerum quæ minus participant, dicitur esse quidam processus et motus divinæ sapientiæ in res ; sicut si dicamus solem procedere usque ad terram, in quantum usque ad terram radius luminis pertingit.

Quod vero dicatur in Scriptura Jac., 4, 8 : *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis*, hoc est secundum metaphoram. Sicut enim dicitur sol intrare domum vel exire, in quantum radius ejus pertingit ad domum, sic dicitur Deus appropinquare ad nos vel recedere a nobis, in quantum percipimus influentiam bonitatis ipsius vel ab eo deficimus. (1ª q. IX, a. 1).

II. — Sic et nobis studendum esset ad mentis constantiam, ut in bono essemus immutabiles, et nec adversis fracti, nec prosperis illecti, a via rectitudinis flecteremur. Sed heu ! nimis inconstantes sumus in sanctis meditationibus, ordinatis affectionibus, in conscientiæ securitate, in recta voluntate. Heu ! quam subito mutamur de bono in malum, de spe in timorem injustum, et e contrario ; de gaudio in dolorem injustum ; de taciturnitate in loquacitatem, de maturitate in levitatem, de caritate in rancorem vel invidiam, de fervore in acidiam, de humilitate in vanam gloriam vel superbiam, de mansuetudine in iram, de spirituali lætitia vel amore in carnalem ; ita quod nunquam uno momento in eodem statu

stabiles permanemus, nisi quod constantes sumus in inconstantia, in infidelitate, in ingratitudine, in spiritualibus defectibus, in imperfectione, in temporis amissione, in levitatibus, in cogitationibus et affectionibus impudicis. Instabilitas autem exteriorum sensuum et membrorum mutabilitatem indicat affectionum et motuum interiorum.

Ad hæc tamen merito niteremur et nos frequenter uno eodemque modo id est mature et benigne in statu et in incessu, in omni conversatione nostra æquiliter haberemus. (*De divinis moribus*).

6 Julii

De utilitatibus ex consideratione Dei Creatoris dimanantibus

1° Ex hujusmodi consideratione homo dirigitur ad cognitionem divinæ majestatis. Nam factor præeminet factis. Unde quia Deus est factor omnium rerum, constat eum eminentiorem esse omnibus rebus. Et inde est quod quidquid potest intelligi vel cogitari minus est ipso Deo. Job.

36, 26 : *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.*

2° Ex hoc dirigitur ad gratiarum actionem. Quia enim Deus est creator omnium rerum, certum est quod quidquid sumus, et quidquid habemus, a Deo est, I Cor., 4, 7 : *Quid habes quod non accepisti?* Ps. 23, 1 : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.* Et ideo debemus ei reddere gratiarum actiones.

3° Inducitur ad patientiam in adversis. Nam licet omnis creatura sit a Deo et ex hoc sit bona secundum suam naturam, tamen si in aliquo noceat et inferat nobis pœnam, debemus credere quod illa pœna sit a Deo, non tamen culpa ; quia nullum malum est a Deo, nisi quod ordinatur ad bonum. Et ideo si omnis pœna quam homo suffert, est a Deo, debet patienter sustinere. Nam pœnæ purgant peccata, humiliant reos, provocant bonos ad amorem Dei. Job., 11, 10 : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus* ?

4° Per hoc inducimur ad recte utendum rebus creatis. Nam creaturis debemus uti ad hoc ad quod factæ sunt a Deo. Sunt autem factæ ad duo : scilicet ad gloriam Dei, quia *universa propter semetipsum,* id est ad gloriam suam, *operatus est Do-*

minus, et ad utilitatem nostram. Deut , 4, 19 : *Quæ fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*. Debemus ergo uti rebus ad gloriam Dei, ut in hoc placeamus Deo, et ad utilitatem nostram, ut scilicet ipsis utendo, non committamus peccatum. *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quidquid ergo habes, sive scientiam, sive pulchritudinem, totum debes referre et uti eo ad gloriam Dei.

5° Ducimur ex hoc in cognitionem dignitatis humanæ. Deus enim omnia fecit propter hominem, sicut dicitur in Ps. 8, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, et homo magis est similis Deo inter creaturas post Angelos. Unde dicitur Gen. 1, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Hoc quidem non dixit de cœlo, sive de stellis, sed de homine ; non autem quantum ad corpus, sed quantum ad animam, quæ est liberam voluntatem habens et incorruptibilis, in quo magis assimilatur Deo quam ceteræ creaturæ.

Debemus ergo considerare hominem post Angelos digniorem esse ceteris creaturis, et nullo modo dignitatem nostram diminuere propter peccata et propter inordinatum appetitum rerum corporalium quæ viliores sunt nobis, et ad servitium nostrum factæ ; sed eo modo debemus nos habere quo Deus fecit nos. Deus enim fecit hominem ut præesset omnibus quæ sunt in terra, et

ut subsit Deo. Debemus ergo dominari et præesse rebus, Deo autem subesse, obedire ac servire, et ex hoc perveniemus in fruitionem Dei.
(*In Symbol.*)

7 Julii

De Gubernatore omnium.

Credo in Deum.

I. — Hoc nomen Deus nihil aliud significat quam gubernatorem et provisorem rerum omnium. Ille igitur credit Deum esse qui credit omnes res mundi hujus gubernari et provideri ab illo. Qui autem credit quod omnia proveniant a casu, hic non credit Deum esse. Nullus autem invenitur adeo stultus qui non credat quod res naturales gubernentur, provideantur et disponantur, cum in quodam ordine et certis temporibus procedant. Videmus enim solem et lunam et stellas et alias res naturales omnes servare determinatum cursum, quod non contingeret si a casu essent.

II. — Sunt autem aliqui, qui licet credant Deum gubernare et disponere res naturales, non tamen credunt Deum esse humanorum actuum provisorem, qui scilicet credunt actus humanos non disponi a Deo. Cujus ratio est quia vident in mundo isto bonos affligi et malos prosperari; quod videtur tollere providentiam divinam circa homines. Hoc autem est valde stultum. Istis accidit, sicut si aliquis nesciens medicinam, videret medicum propinantem uni infirmo aquam, alteri vinum, crederet quod hoc fiat a casu, cum nesciat artem medicinæ quare ex justa causa hoc facit, scilicet quod isti dat vinum, ille vero aquam. Sic est de Deo, Deus enim ex justa causa et sua providentia disponit ea quæ sunt hominibus necessaria; et sic quosdam bonos affligit, et quosdam malos in prosperitate dimittit. Unde qui credit hoc provenire a casu, est et reputatur insipiens, quia non contingit hoc, nisi quia nescit artem et causam dispositionis divinæ.

III. — Ideo firmiter credendum est quod Deus gubernat et disponit non solum res naturales, sed etiam actus humanos. Ps. 93, 7. *Et dixerunt : Non videbit Dominus, nec intelliget. Intelligite insipientes in populo. Qui plantavit aurem non audiet ?... Dominus scit cogitationes hominum.* Omnia ergo videt et cogitationes et occulta voluntatis. Unde et hominibus specialiter imponitur

necessitas bene faciendi, quia omnia quæ cogitant et faciunt, divino conspectui sunt manifesta. (*In Symb. Apost.*)

8 Julii

Deus Pater noster.

I. — Deus dicitur Pater noster ratione specialis creationis, quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressit. Item ratione gubernationis. Quanquam enim alia gubernat, nos tamen gubernat ut dominos, alia vero ut servos. *Cum magna reverentia disponis nos.* Item ratione adoptionis ; quia aliis creaturis dedit quasi munuscula, nobis autem hæreditatem, et hoc quia filii. *Si filii et heredes.* Gal., IV, 7. Rom., 8. 15 : *Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.*

II. — Debemus autem nos ei quatuor :

1° Honorem. Mal., 1, 6 : *Si ego Pater, ubi est*

honor meus? Qui consistit in tribus : in laudis datione quoad Deum. Ps. 49, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me*, quæ non solum debet esse in ore, sed etiam in corde. Is., 29, 13 : *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* In corporis puritate quoad seipsum. I. Cor., 6, 20 : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* In judicii æquitate quoad proximum. Ps. 98, 3 : *Honor regis judicium diligit.*

2° Imitationem, quia pater est. Jer., 3, 19 ; *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* Quæ imitatio perficitur in tribus. In dilectione. Eph., 5, 1 : *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione* ; et hoc oportet esse in corde, ut sic dilectio non sit simulata. In miseratione ; dilectio enim debet esse cum miseratione. *Estote misericordes.* Luc., 6, 36, et hoc debet esse in opere. In perfectione, quia dilectio et miseratio debet esse perfecta. Matth., 5, 48 : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.*

3° Obedientiam et subjectionem. Hebr., 12, 9 : *Multo magis obtemperabimus patri spirituum.* Et hoc propter tria : Propter dominium, ipse enim est Dominus ; propter exemplum, quia verus Filius *factus est Patri obediens usque ad mortem ;* propter utilitatem et commodum. Il

Reg., 6, 21 : *Ludam et vilior fiam plus quam fratres, eroque humilis in conspectu Domini qui elegit me.*

4° Patientiam in castigationibus. Prov., 3, 11 : *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficies cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi Pater in filio complacet sibi.*

(*Orationis Dominicæ expos.*)

9 Julii

De amore Dei.

Diligis omnia quæ sunt et nihil odisti eorum quæ fecisti. Sap., 11.

I. — Deus omnia existentia amat. Nam omnia existentia in quantum sunt bona sunt. Ipsum enim esse cujuslibet rei quoddam bonum est et similiter quælibet perfectio ipsius. Voluntas autem Dei est causa omnium rerum. Et sic oportet quod aliquid habeat esse aut quodcumque bo-

num in quantum est volitum a Deo. Cuilibet igitur existenti Deus vult aliquod bonum. Unde cum amare nil aliud sit quam velle bonum alicui, manifestum est quod Deus omnia quæ sunt amat.

Non tamen eo modo sicut nos. Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab objecto, amor noster quo bonum alicui volumus non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas ejus vel vera vel æstimata provocat amorem quo ei volumus et bonum conservari quod habet et addi quod non habet, et ad hoc operamur.

Sed amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus.

Amans sic fit extra se in amatum translatum, in quantum vult amato bonum et operatur per suam providentiam sicut et sibi. Unde dicit Dionysius : Audendum est et hoc pro veritate dicere quod et ipse omnium causa per abundantiam amativæ bonitatis extra seipsum fit ad omnia existentia de providentiis (1ª, q. XX, a. II).

II. — Mira dilectione Deus amat membra Unigeniti sui. *Cognoscat mundus quia... dilexisti eos, sicut et me dilexisti.* Joan., XVII.

Sciendum quod Deus diligit omnia quæ fecit, dando eis esse ; maxime autem diligit Unigenitum Filium suum, cui totam naturam suam per æternam generationem dedit. Medio autem modo

diligit membra Unigeniti sui, scilicet fideles Christi, dando eis gratiam qua Christus inhabitat nos.

Dilexisti eos sicut tu me dilexisti : quod non importat parilitatem dilectionis, sed rationem et similitudinem. Quasi dicat : dilectio qua dilexisti me est ratio et causa quare eos dilexisti. Nam per hoc quod me diligis, diligentes me et membra mea diligis. Joan , 16, 27 : *Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Consequens est quod nunc non possumus cognoscere dilectionem Dei ad nos quanta sit, quia bona quæ Deus daturus est nobis, cum excedant appetitum et desiderium nostrum, non possunt cadere in cor nostrum. I. Cor., 2, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Et ideo mundus credens, id est sancti cognoscent per experientiam quantum diligat nos ; sed mundi amatores, id est mali, cognoscent hoc videndo et admirando gloriam sanctorum. Sap., 5, 3 : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii.* Et infra 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.*

(*In Joan.*, XVII).

10 Julii

De triplici cœna

Possumus distinguere triplicem cœnam Christi, videlicet sacramentalem, spiritualem et æternam.

De prima dicitur Apoc., XIX, 9 : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Vere beati et in præsenti per gratiam, et in futura per gloriam. Sap., VII. 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* ; dicit Glossa : Qui Christum corde suscipit, vel percipit notitiam omnium, hic pariter virtutem habet et gratiam et in futuro vitam æternam. Hæc est cœna, in qua lavit Christus pedes discipulorum suorum, id est affectus nostræ mentis a peccatis venialibus, quia in hoc sacramento fit transformatio hominis ad Christum per amorem. Et quia fervori amoris peccata venialia contrariantur, qui quidem fervor in hoc sacramento excitatur, ideo ex consequenti peccata venialia dimittuntur. Unde Bern. : In sacramento altaris anima cœlesti dulcedine inebriatur, peccatum veniale deletur, homo in gratia roboratur.

De secunda dicitur Apoc., 3, 20 : *Ego sto ad ostium et pulso.* Gloss. cordi clauso. *Si quis audierit vocem meam et aperuerit januam mihi, ad eum intrabo et cœnabo cum illo.* Gloss. Fide et opere ejus delectabor. Hæc cœna mystice designata est Joan., xii, 1, ubi dicitur *quod ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, fecerunt autem ei cœnam et Martha ministravit.* Unde Alcuin. mystice cœna Domini est fides Ecclesiæ, quæ per dilectionem operatur. Martha ministrat cum fide, cum anima opera suæ devotionis impendit. Lazarus unus erat ex discumbentibus cum hi qui post peccatorum mortem resuscitati sunt ad justitiam, una cum eis qui in sua justitia permanserunt, de præsentia veritatis exultant, et cœlestis gratiæ muneribus aluntur. Et bene in Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur.

De tertia, Luc,, 14, 16, dicitur : *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Gloss. quia satietatem nobis internæ dulcedinis præparavit. Hæc est cœna, in qua Joannes, id est quilibet electus in quo est gratia recumbit, a strepitu vitæ præsentis ; quia, ut dicit Bernardus : Ibi est requies a laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas atque dulcedo de Dei visione.

(*De Humanit. Christi.*)

11 Julii

De hominum vocatione,

Deus omnes homines vult salvos fieri. I Tim. 2, 4.

Deus tria vult de nobis:

1° Quod nos habeamus vitam æternam. Quicumque enim facit aliquid propter aliquem finem vult de illa re illud propter quid fecit eam. Deus autem fecit hominem, sed non pro nihilo, quia sicut dicitur in Ps. 88, 48 : *Numquid vane constituisti omnes filios hominum ?* Fecit ergo homines propter aliquid, sed non propter voluptates, quia et bruta habent eas ; sed ut habeant vitam æternam.

Quando vero aliquid consequitur illud ad quod factum est dicitur quod salvatur ; quando vero non consequitur, dicitur quod res illa perditur. Cum ergo homo consequitur vitam æternam, dicitur quod salvatur ; et hoc vult Dominus Joan., 6, 40 : *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam.*

Hæc autem voluntas jam completa est in angelis et in sanctis qui sunt in patria, quia vident Deum et cognoscunt, et fruuntur eo ; sed nos desideramus quod sicut voluntas Dei completa est in beatis qui sunt in cœlis, ita compleatur in nobis qui sumus in terra ; et hoc petimus cum oramus *Fiat voluntas tua* in nobis qui sumus in terra, sicut in sanctis qui sunt in cœlo.

2° Ut servemus mandata ejus. Quando enim aliquis desiderat aliquid, non solum vult illud quod desiderat, sed omnia per quæ venitur ad illud, sicut medicus, ut consequatur sanitatem, vult etiam diætam et medicinam et hujusmodi. Quia ergo per observationem mandatorum pervenimus ad vitam æternam, Deus vult quod mandata observemus.

3° Ut restituatur homo ad statum et dignitatem in qua creatus fuit primus homo, quæ tanta fuit ut spiritus et anima nullam repugnantiam sentirent a carne et sensualitate. Quamdiu enim anima subjecta fuit Deo, caro ita subjecta fuit spiritu, ut nullam corruptionem mortis seu infirmitatis et aliarum passionum sentiret, sed ex quo spiritus et anima, quæ erat media inter Deum et carnem, rebellavit Deo per peccatum, tunc corpus rebellavit animæ et tunc mortem et infirmitates sentire cœpit, et continuam rebellionem sensualitatis ad spiritum. Sic est continua pugna inter carnem et

spiritum, et homo continue deterioratur per peccatum. Est ergo voluntas Dei ut homo restituatur ad statum primum, ut scilicet nihil sit in carne repugnans spiritui. I Thess., 4, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut sciat unusquisque vas suum possidere.*

(*In oration. Dominic.*)

12 Julii

De tenebris et umbra mortis.

Eduxit eos de tenebris et umbra mortis. Ps. 106, 14.

1° Sunt triplices tenebræ, scilicet ignorantiæ. Ps. 81, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt : in tenebris ambulant.* Et hæ sunt rationis secundum seipsam, in quantum per seipsam obnubilatur. Item culpæ, Eph., 5, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et istæ sunt rationis humanæ non ex se, sed ex appetitu, in quantum male dispositus per passiones vel habitum, appetit aliquid ut bonum, quod tamen non

est vere bonum. Item tenebræ damnationis æternæ. Matth. 25, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Sed duæ primæ sunt in vita ista, tertiæ vero sunt in termino vitæ.

Christus autem *eduxit eos*, quia est *lux mundi*, non sol factus, sed per quem sol factus est ; et tamen, ut Augustinus dicit, lumen quod solem fecit, sub sole factum est, et carnis nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur. Et quia lux ista est universalis, ideo universaliter tenebras omnes expellit. *Qui* ergo *sequitur me, non ambulat in tenebris*, ignorantiæ, quia ego sum veritas ; nec culpæ, quia ego sum via ; neque damnationis æternæ, quia ego sum vita (*In Joan.*, c. VIII).

2° Nox duplex est. Una per subtractionem actualis gratiæ quam inducit peccatum mortale. Et quando hæc nox venit, nemo potest operari opera meritoria vitæ æternæ.

Alia nox est consummata, quando non solum privatur actuali gratia quis per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi, per æternam damnationem in inferno, ubi profunda nox est quæ erit illis quibus dicitur : *Ite maledicti in ignem æternum.* Et tunc nemo potest operari, quia non est tempus merendi, sed secundum merita recipiendi. Dum ergo vivis, fac sicut facturus es. Unde Eccle., 9, 10 : *Quæcumque potest manus tua, instanter operare : quia neque ratio,*

neque opus, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. (*In Joan.*, IX).

3° Mors est damnatio in inferno, Ps. 48, 15 : *Mors depascet eos. Umbra mortis* est similitudo futuræ damnationis quæ est in peccatoribus. Magna autem pœna eorum qui in inferno sunt, est separatio a Deo ; et quia peccatores jam separati sunt a Deo, ideo similitudinem habent futuræ damnationis, sicut et justi similitudinem habent futuræ beatitudinis.

(*In Matth.*, V.)

13 Julii

De vulneribus naturæ ex peccato consequentibus.

Pronisunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Gen., 8, 21.

Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis

justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio vulneratio naturæ dicitur.

Sunt autem quatuor potentiæ animæ quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio in qua est prudentia, voluntas in qua est justitia, irascibilis in qua est fortitudo, concupiscibilis in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum est vulnus ignorantiæ ; in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum est vulnus malitiæ ; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis ; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione est vulnus concupiscentiæ.

Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum et ratio hebetatur præcipue in agendis, et voluntas induratur ad bonum, et major difficultas bene agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit.

(1, 2, q. LXXXV, a. III.)

14 Julii

De peccati infirmitatibus.

Jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Joan., 5, 3.

Hic infirmitates peccati describuntur.

I. — Quantum ad situm, quia *jacebant* prostrati, scilicet per peccata inhærendo terrenis : qui enim jacet, ex toto inhæret terræ. Matth., 9, 36 : *Misertus est eorum, quia erant vexati et jacentes, quasi oves non habentes pastorem.* Justi autem non jacent, sed recti ad cœlestia stant. Ps. 19, 9 : *Ipsi*, scilicet peccatores, *obligati sunt et ceciderunt, nos autem*, scilicet justi, *surreximus et erecti sumus.*

II. — Quantum ad numerum, quia multi. Unde dicit *Multitudo magna.* Eccl., 1, 15 : *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Et Matth., 7, 13 : *Lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi incedunt per eam.*

III. — Quantum ad dispositionem seu habitum infirmorum. Et ponit quatuor quæ homo per peccatum incurrit.

1° Homo ex hoc quod subjicitur passionibus peccatorum ei prædominantibus, efficitur languidus, et quantum ad hoc dicit : *Languentium.* Unde et a Tullio passiones animæ, puta iræ et concupiscentiæ et hujusmodi, quædam ægritudines animæ dicuntur. Unde Ps. 6, 3, dicebat : *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

2° Ex dominio passionum et victoria in homine excæcatur ratio per consensum ; et quantum ad hoc dixit : *Cæcorum*, scilicet per peccata, secundum illud Sap, 2, 21 : *Excæcavit eos malitia eorum.* Ps. 57, 9 : *Supercecidit ignis*, scilicet iræ et concupiscentiæ *et non viderunt solem.*

3° Homo languens et cæcus efficitur instabilis in suis operibus et est quasi claudus. Unde dicitur Prov., 11, 18 : *Impius facit opus instabile.* Et quantum ad hoc dicit *Claudorum.* III, Reg. 18, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?*

4° Homo sic languidus, cæcus intellectu, claudus in effectu, efficitur aridus in affectu, in quantum exsiccatur in eo omnis pinguedo devotionis quam petebat Psalm. 62, 6, dicens : *Sicut adipe*

et pinguedine repleatur anima mea. Et quantum ad hoc dicit *Aridorum.* Ps. 21, 16 : *Aruit tanquam testa virtus mea.*

Sed sunt aliqui sic affecti languore peccati, qui non expectant aquæ motum, in peccatis suis requiescentes, secundum illud Sap., 14, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tanta mala pacem appellant.* De quibus dicitur Prov., 2, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Cujus ratio est quia non abhorrent peccata, nec peccant ex ignorantia, seu infirmitate, sed ex certa malitia.

Isti autem infirmi, utpote non ex malitia peccantes, non quiescebant in peccatis, sed per desiderium expectabant aquæ motum. Unde dicit : *et expectantium.*

(*In Joan.*, v.)

15 Julii

De macula peccati.

I. — Macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis et

aurum et argentum et aliud hujusmodi. In rebus autem spiritualibus ad similitudinem hujus oportet maculam dici. Habet enim anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis per quam dirigitur in suis actibus ; alium vero ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ et gratiæ per quam etiam homo perficitur ad bene et decenter agendum. Est autem quasi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem. Cum peccat, adhæret aliquibus rebus contra lumen rationis et divinæ legis. Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens macula animæ metaphorice vocatur. (1, 2, q. LXXXVI, a. 1.)

Ex hoc autem aliquid maculatum dicitur, quia debitæ pulchritudinis patitur detrimentum. Unde macula secundum quod hujusmodi, non habet quod aliquid ponat, sed per comparationem ad illud quod pulchritudinis detrimentum causat, aliquid quandoque ponere dicitur, sicut aliquid in faciem inductum quod candorem faciei tegit aut privat. Pulchritudo autem animæ consistit in assimilatione ipsius ad Deum, ad quem formari debet per claritatem gratiæ ab eo susceptam. Sicut vero perceptio claritatis corporalis a sole prohibetur a nobis per aliquod obstaculum interpositum, ita etiam claritas gratiæ prohibetur ab anima per peccatum commissum, quod dividit inter nos et Deum.

Gratiæ autem lumen et intellectum dirigit et affectum movet, sed peccatum in utrumque defectum inducit : in intellectum quidem, quia omne peccatum ex errore est, principaliter vero in affectum, quia omne peccatum in voluntate est. Et ideo macula intellectum et affectum respicit, sed principalius affectum (4, Dist., 18, q. I, a. II).

II. — Hæc autem macula in anima remanet, etiam transeunte actu peccati. Importat enim quemdam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis vel divinæ legis. Et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati, sed postquam redit ad lumen rationis et ad lumen divinum quod fit per gratiam, tunc macula cessat. Licet autem cesset actus peccati, quo homo discessit a lumine rationis vel legis divinæ, non tamen statim homo ad illud redit in quo fuerat ; sed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui, sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit ei propinquus, sed oportet quod appropinquet rediens per motum contrarium.

(1. 2, q. LXXXVI, a. II.)

16 Julii

Peccatum potest esse pœna peccati.

De peccato dupliciter loqui possumus, per se scilicet et per accidens. Per se quidem nullo modo peccatum potest esse pœna peccati. Peccatum enim per se consideratur secundum quod egreditur a voluntate ; sic enim habet rationem culpæ. De ratione autem pœnæ est quod sit contra voluntatem. Unde manifestum est quod peccatum per se loquendo, nullo modo potest esse pœna peccati.

Per accidens autem peccatum potest esse pœna peccati tripliciter :

1° Ex parte causæ quæ est remotio prohibentis. sunt enim causæ inclinantes ad peccatum, passiones, tentatio diaboli et alia hujusmodi ; quæ quidem causæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ quæ subtrahitur per peccatum. Unde cum ipsa subtractio gratiæ sit quædam pœna et a Deo, sequitur quod per accidens etiam peccatum quod ex hoc sequitur pœna dicatur. Et hoc modo lo-

quitur Apostolus Rom., I, 24, dicens: *Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum*, quæ sunt animæ passiones, quia scilicet deserti homines ab auxilio divinæ gratiæ vincuntur a passionibus. Et hoc modo semper peccatum dicitur esse pœna præcedentis peccati.

2° Ex parte substantiæ actus, qui afflictionem inducit; sive sit actus interior, ut patet in ipsa ira et invidia, sive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur et damno, ut expleant actum peccati, secundum illud Sap., v., 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis.*

3° Ex parte effectus, ut scilicet aliquod peccatum dicatur pœna respectu effectus consequentis. Sed his duobus ultimis modis unum peccatum non solum est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui.

Pœnæ quidem sunt inductæ ut per eas homines reducantur ad bonum virtutis. Sed hoc etiam quod aliqui puniuntur a Deo dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonum virtutis ordinatur, quandoque etiam ipsorum qui peccant, cum scilicet post peccatum humiliores et cautiores resurgunt. Semper autem est ad emendationem aliorum, qui videntes aliquos ruere de peccato in peccatum, magis reformidant peccare. In aliis autem duobus modis manifestum est quod pœna ordinatur ad emendationem, quia hoc ipsum quod

homo laborem et detrimentum patitur in peccando, natum est retrahere homines a peccato.
(1, 2, q. LXXXVII, a. II.)

17 Julii

Peccatum ad pœnam obligat.

Dicitur Rom., II, 9 : *Tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum.* Sed operari malum est peccare. Ergo peccatum inducit pœnam quæ nomine tribulationis et angustiæ designatur.

Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur ut id quod contra aliquid insurgit ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus quod unum contrarium vehementius agit altero contrario superveniente. Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem quod quæcumque continentur sub aliquo ordine sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis. Unde quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur.

Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit. Et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur, quæ quidem depressio pœna est. Unde secundum tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici pœna potest homo puniri. 1° Subditur humana natura ordini propriæ rationis; 2° ordini exterioris hominis gubernantis vel spiritualiter, vel temporaliter, politice seu œconomice; 3° subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit et contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem divinam. Unde triplicem pœnam incurrit; unam a seipso, quæ est conscientiæ remorsus; aliam vero ab homine; tertiam vero a Deo.

(1, 2, q. LXXXVII, a. 1.)

18 Julii

De differentia peccati venialis et mortalis.

I. — Differentia peccati venialis et mortalis consequitur diversitatem inordinationis quæ com-

plet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio : una per subtractionem principii ordinis ; alia qua etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quæ sunt post principium ; sicut in corpore animalis quandoque inordinatio complexionis procedit usque ad destructionem principii vitalis, et hæc est mors ; quandoque vero, salvo principio vitæ, fit deordinatio quædam in humoribus, et tunc est ægritudo.

II. — Principium autem totius ordinis in moralibus est finis ultimus, qui ita se habet in operativis, sicut principium indemonstrabile in speculativis. Unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unitur per charitatem, tunc est peccatum mortale ; quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale. Sicut enim in corporibus deordinatio mortis quæ est per remotionem principii vitæ est irreparabilis secundum naturam, inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id quod salvatur principium vitæ, similiter est in his quæ pertinent ad animam. Nam in speculativis, qui errat circa principia, impersuasibilis est ; qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest.

Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, et ideo dicitur pec-

care mortaliter, æternaliter puniendus. Qui vero peccat citra aversionem a Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium ; et ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat ut mereatur interminabilem pœnam.

(1, 2, q. LXXII, a. v.)

III. — Peccatum mortale, quantum ad aliquid est simile morti, et quantum ad aliquid ægritudini. In quantum enim separat a Deo, qui vita est, mortis similitudinem habet, et hæc est mors prima. In quantum autem adhuc manet possibilitas redeundi ad vitam, habet similitudinem ægritudinis, ducentis ad mortem condemnationis, quæ est mors secunda. Quæ omnino similitudinem mortis retinet, dum per eam homo a Deo separatur et ad vitam gratiæ possibilis reditus non est. Sicut autem in ægritudinibus corporabilibus quædam sunt curabiles, quædam autem non (quantum est de natura morbi) et hæ dicuntur infirmitates ad mortem, ita etiam in peccatis, illa tantum peccatorum mortalium ad mortem dicuntur, quæ, quantum in se est, irremissibilia sunt. Dicuntur ergo peccatum esse mortale a morte prima ; sed ad mortem, propter mortem secundam.

(2, Dist. 43, q. 1, a. III.)

19 Julii

Peccatum mortale ad pœnam æternam obligat.

Ibunt hi in supplicium æternum. Matth., XXV, 46.

I. — Ratio quare mortale peccatum ad æternam pœnam obligat potest sumi ex tribus :

1° Ex parte ejus in quem peccatur qui est infinite magnus, scilicet Deus. Unde et offensa illius infinita pœna digna est, quia quanto est dignior in quem peccatur, tanto peccatum magis punitur.

2° Ex voluntate peccantis. Constat enim quod peccans mortaliter finem delectationis suæ in eo in quo mortaliter peccat, ponit, ut etiam Deum pro illo contemnat. Constat autem quod quicumque summe diligit aliquid ut finem suæ voluntatis, ex hoc ipso vellet semper ei adhærere. Et ideo peccans mortaliter, illo actu voluntatis quo pec-

catum mortale elegit, elegit peccato semper adhærere, nisi per accidens retrahatur, vel timore pœnæ vel aliquo hujusmodi. Sed si infinite adhærere posset, semper adhæreret, et ideo in suo æterno peccat, et propter hoc æterna pœna est dignus.

3° Ex ipso statu peccantis mortaliter, qui per peccatum gratia privatur. Unde cum sine gratia non possit fieri remissio culpæ, si in peccato mortali moriatur, semper in culpa remanebit, cum ulterius non sit gratiæ susceptibilis. Manente autem culpa semper est obnoxius pœnæ, alias remaneret aliquid inordinatum in universo. (2, Dist. 42, q. I, a. v.)

II. — Quod autem peccatum temporale fuerit, non sequitur quod solum temporali pœna debeat puniri. Nam pœna peccato proportionatur secundum acerbitatem tam in judicio divino quam in humano. Sed in nullo judicio requiritur ut pœna adæquetur culpæ secundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte ; in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium : et sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus.

Justum est secundum Gregorium quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Unde dicit Gregorius quod iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. (1, 2, q. 87, a. III, ad 1.)

20 Julii

De peccatis spiritualibus.

Peccata spiritualia sunt majoris culpæ quam peccata carnalia. Quod non est sic intelligendum quasi quodlibet peccatum spirituale sit majoris culpæ quolibet peccato carnali ; sed quia considerata hac sola differentia spiritualitatis et carnalitatis, graviora sunt quam cætera peccata, cæteris paribus.

Cujus ratio triplex potest assignari :

Prima quidem ex parte subjecti, nam peccata spiritualia pertinent ad spiritum, cujus est converti ad Deum et ab eo averti ; peccata vero carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale converti ; et ideo peccatum carnale, in quantum hujusmodi, plus habet de conversione, propter quod etiam est majoris adhæsionis ; sed peccatum spirituale habet plus de aversione, ex qua procedit ratio culpæ. Et ideo peccatum spirituale, in quantum hujusmodi, est majoris culpæ.

Secunda ratio potest sumi ex parte ejus in quem peccatur ; nam peccatum carnale, in quantum hujusmodi, est in corpus proprium quod est minus diligendum secundum ordinem charitatis, quam Deus et proximus in quos peccatur per peccata spiritualia ; et ideo peccata spiritualia, in quantum hujusmodi, sunt majoris culpæ.

Tertia ratio potest sumi ex parte motivi, quia quanto est gravius impulsivum ad peccandum, tanto homo minus peccat. Peccata autem carnalia habent vehementius impulsivum, id est, ipsam concupiscentiam carnis nobis innatam ; et ideo peccata spiritualia, in quantum hujusmodi, sunt majoris culpæ.

Diabolus quidem dicitur ab Augustino maxime gaudere de peccato luxuriæ, non quia est gravius, sed quia est maximæ adhærentiæ et difficile ab eo homo potest eripi. Insatiabilis est enim delectabilis appetitus.

Quod vero sint majoris infamiæ, non sequitur quod peccata carnalia sunt graviora. Turpius est enim esse incontinentem concupiscentiæ quam incontinentem iræ, quia minus participat de ratione, et peccata intemperantiæ sunt maxime exprobrabilia, quia sunt circa illas delectationes quæ sunt communes nobis et brutis. Unde quodammodo per ista peccata homo brutalis redditur. Et inde est quod sicut Gregorius dicit, sunt majoris infamiæ.

(1ª 2, q. LXXIII, a. v.)

21 Julii

Qui peccat ex malitia gravius peccat quam qui ex passione.

Peccatum quod ex industria committitur, ex hoc ipso graviorem pœnam meretur, secundum illud Job, 34, 26 : *Quasi impios percussit eos in loco videntium qui quasi de industria recesserunt ab eo.* Sed pœna non augetur nisi propter gravitatem culpæ. Ergo peccatum ex hoc aggravatur quod est ex industria seu certa malitia.

Peccatum quod est ex certa malitia est gravius peccato quod est ex passione triplici ratione.

1° Quia cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quanto motus peccati est magis proprius voluntati, tanto peccatum est gravius, ceteris paribus. Cum autem ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius voluntati quæ ex seipsa in malum movetur, quam quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsa ad peccandum. Unde peccatum ex hoc ipso quod est ex malitia aggravatur et tanto magis quanto fuerit vehementior malitia ; ex eo vero quod est ex passione, diminuitur tanto magis, quanto passio fuerit magis vehemens.

2° Quia passio quæ inclinat voluntatem ad peccandum cito transit, et sic homo cito redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato, sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens ; et ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Unde Philosophus comparat intemperatum qui peccat ex malitia infirmo qui continue laborat ; incontinentem autem qui peccat ex passione ei qui laborat interpolate.

3° Quia ille qui peccat ex certa malitia est male dispositus quantum ad ipsum finem qui est principium in operabilibus ; et sic ejus defectus est periculosior quam ejus qui ex passione peccat,

cujus propositum tendit in bonum finem licet hoc propositum interrumpatur ad horam propter passionem. Semper autem defectus principii est pessimus. Unde manifestum est quod gravius est peccatum quod est ex malitia quam quod est ex passione.

Impulsio quæ est ex passione est quasi ex exteriori defectu respectu voluntatis ; sed per habitum inclinatur voluntas quasi ab interiori.

Ille qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione, quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id quod extra passionem existens non eligeret. Sed ille qui peccat ex certa malitia, secundum se eligit malum, et ideo electio quæ est in ipso est principium peccati et propter hoc dicitur ex electione peccare.

(1. 2, q. LXXVIII, a. IV.)

22 Julii

Peccatum aggravatur secundum conditionem personæ in quam peccatur.

In sacra Scriptura specialiter vituperatur peccatum quod contra servos Dei committitur, item peccatum commissum in personas propinquas,

item peccatum quod committitur in personas in dignitate constitutas.

Persona in quam peccatur est enim quodammodo objectum peccati. Prima quidem gravitas peccati attenditur ex parte objecti ; ex quo tanto attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum ejus est principalior finis. Fines autem principales humanorum actuum sunt Deus, ipse homo, et proximus ; quidquid enim facimus, propter aliquod eorum facimus ; potest igitur ex parte horum trium considerari major vel minor gravitas in peccato secundum conditionem personæ in quam peccatur.

Primo quidem ex parte Dei, cui tanto magis aliquis homo conjungitur, quanto est virtuosior vel Deo sacratior ; et ideo injuria tali personæ illata magis redundat in Deum, secundum illud Zachar., II, 8 : *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Unde peccatum fit gravius ex hoc quod peccatur in personam magis Deo conjunctam vel ratione virtutis vel ratione officii.

Ex parte etiam sui ipsius tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam personam seu naturali necessitudine, seu beneficiis seu quacumque conjunctione peccaverit ; quia videtur in seipsum magis peccare, et pro tanto gravius peccat, secundum illud Eccli., XIV, 5 : *Qui sibi nequam est, cui bonus erit ?*

Ex parte vero proximi, tanto gravius peccatur,

quanto peccatum plures tangit ; et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta regem vel principem qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quam peccatum quod committitur contra unam personam privatam. Unde specialiter dicitur. Ex., XXIV, 28 : *Principi populi tui non maledices.* Et similiter injuria quæ fit alicui famosæ personæ videtur esse gravior ex hoc quod in scandalum et in turbationem plurimorum redundat.

(1, 2, q. LXXIII, a. IX.)

23 Juin

Magnitudo personæ peccantis aggravat peccatum.

Duplex est peccatum. Quoddam est ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ ; et tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit.

Alia vero peccata sunt ex deliberatione proce-

dentia, et ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto major est. Et hoc potest esse propter quatuor :

1° Quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia et virtute, unde Dominus dicit Luc., XII, 47, quod *servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens plagis vapulabit multis.*

2° Propter ingratitudinem, quia omne bonum quo aliquis magnificatur est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando ; et quantum ad hoc quælibet majoritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundum illud Sap. VI, 6 : *Potentes potenter tormenta patientur.*

3° Propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos ; et si sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit.

4° Propter exemplum sive scandalum, quia, ut Gregorius dicit : In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, et magis homines ea indigne ferunt.

Si vero Deus majores plus punit pro uno et eodem peccato, non facit personarum acceptionem,

quia ipsorum majoritas facit ad gravitatem peccati.

(1, 2, q. LXXIII, a. x.)

21 Julii

De felicitate in hac vita non quærenda.

Hæc felicitas inveniri non potest :

I. — In peccato. Peccatum enim quemadmodum onus fatigat. Isa., 46 : *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.* Fatigat enim peccatum :

Propter sollicitudinem in excogitando. Prov., 4, 16 : *Non enim dormiunt nisi male fecerint.*

Propter laborem in exequendo. Sap. 5, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis.*

Propter confusionem in recogitando. Rom., 6, 21 : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis ?*

Propter frustrationem in expectando. Prov., 11, 7 : *Expectatio sollicitorum peribit.* (*In Isa.*, 46.)

II. — In delectationibus corporalibus non inve-

nitur. Summa enim perfectio hominis esse non potest in hoc quod conjungitur rebus se inferioribus, sed per hoc quod conjungitur alicui rei altiori ; finis enim melior est eo quod est ad finem. Delectationes autem corporales consistunt in hoc quod homo secundum sensum conjungitur aliquibus se inferioribus scilicet sensibilibus quibusdam.

Insuper,si delectationes corporales essent secundum se bonæ, oporteret quod maxime uti eis esset optimum. Hoc autem patet esse falsum. Nam nimius usus eorum reputatur in vitium, et est etiam corpori noxius et similium delectationum impeditivus. Non sunt igitur per se bonum hominis.

Item, finis ultimus Deus est ; illud igitur oportet ultimum finem hominis poni per quod maxime appropinquat ad Deum. Per corporales autem delectationes homo impeditur a maxima appropinquatione ad Deum quæ fit per contemplationem. Quam maxime prædictæ delectationes impediunt, utpote ad sensibilia maxime hominem immergentes, et per consequens ab intelligibilibus retrahentes. Non est igitur in delectationibus corporalibus felicitas humana ponenda.

(*Contr. Gent.*, l. III.)

III. — In hac vita felicitas non invenitur. Et hoc considerari potest dupliciter.

1° Ex ipsa communi beatitudinis ratione. Nam beatitudo, cum sit perfectum et sufficiens bonum,

omne malum excludit et omne desiderium implet. In hac autem vita non potest omne malum excludi. Multis enim malis præsens vita subjacet quæ vitari non possunt; et ignorantiæ ex parte intellectus et inordinatæ affectioni ex parte appetitus, et multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis. Similiter etiam boni desiderium in hac vita satiari non potest. Naturaliter enim homo desiderat permanentiam ejus boni quod habet. Bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat, quam naturaliter desideramus, et eam perpetuo manere vellemus, quia naturaliter homo refugit mortem. Unde impossibile est quod in hac vita vera beatitudo habeatur.

2° Si consideretur id in quo specialis beatitudo consistit, scilicet visio divinæ essentiæ, non potest homini provenire in hac vita. Ex quibus manifeste apparet quod non potest aliquis in hac vita veram et perfectam beatitudinem adipisci.

Beati autem dicuntur in hac vita, vel propter spem beatitudinis adipiscendæ in futura vita, secundum illud Rom., 8 : *Spe salvi facti sumus*; vel propter aliquam participationem beatitudinis secundum aliqualem summi boni fruitionem.

(1. 2. q. V, a. III.)

25 Julii

De sacramento Pœnitentiæ.

Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis. Luc., 13, 3.

Absolute necessarium est ad salutem sine quo nullus salutem consequi potest, sicut gratia Christi, et sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum pœnitentiæ, quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato subjacentibus. Peccatum autem *cum consummatum fuerit generat mortem.* Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo; quod quidem non potest fieri sine pœnitentiæ sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati. Sicut enim dicit Augustinus : Qui creavit te sine te non justificabit te sine te. Unde patet quod sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem post peccatum, sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculosum inciderit.

Hieronymus recte dicit quod secunda tabula post naufragium est pœnitentia. Nam sicut primum remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra, secundum autem remedium est post navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat, ita etiam primum remedium in mari hujus vitæ est quod homo integritatem servet; secundum autem remedium est si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat.

Dicitur quidem Prov., 10, 12 : *Universa delicta operit charitas* et infra, 15, 27 : *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Sed ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine pœnitentia. Requirit enim charitas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico homo studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat justificari a peccatis. Requirit etiam et ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ quam per peccatum incurrit, secundum illud Prov., 14, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Unde Eccli. 30, 24 dicitur : *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

(3ª, q. LXXXIV, a. v et vi.)

26 Julii

De reliquiis peccati.

Legitur Marc., 8, quod cæcus illuminatus a Domino primo restitutus est ad imperfectum visum. Unde ait: *Video homines velut arbores ambulantes*; deinde restitutus est perfecte, *ita ut videret clare omnia*. Illuminatio autem cæci significat liberationem peccatoris. Post primam ergo remissionem culpæ, qua peccator restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo aliquæ reliquiæ peccati præteriti.

Peccatum enim mortale ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile quamdam dispositionem causat in anima vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Culpa autem peccati mortalis remittitur, in quantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo.

Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatæ, cum hanc contingat esse sine illa. Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent

tamen debilitatæ et diminutæ, ita quod homini non dominentur ; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post baptismum.

Dicit Augustinus : « Nunquam Dominus aliquem sanavit, quem omnino non liberavit ; totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione. » Et revera Deus totum hominem perfecte curat ; sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, *ita ut surgens ministraret illis ;* quandoque autem successive, sicut dictum est de cæco illuminato. Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias.

(3ª, q. LXXXVI, a. v.)

27 Julii

De contritione.

1° Debet esse maxima.

In contritione est duplex dolor. Unus est in vo-

luntate qui est essentialiter ipsa contritio, quæ nihil aliud est quam displicentia præteriti peccati, et talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet; finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; et ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.

Alius dolor est in parte sensitiva et hic dolor non oportet quod sit maximus. Major enim dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsam redundat ex ratione, Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato non est major dolor aliis doloribus qui in ipsa sunt, tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta et talis passio sequatur in inferiori appetitu qualem ordinat superior; tum etiam quia passiones a ratione sumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam, quam quandoque dolor qui est sine virtute non servat, sed excedit.

2° Quomodo potest esse nimia.

Contritio ex parte doloris qui est in ratione, scilicet displicentiæ, quo peccatum displicet in quantum est offensa Dei, non potest esse nimia, sicut nec amor charitatis quo intenso talis displicentia intenditur, potest esse nimius. Sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia sicut

etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia. In his autem omnibus debet accipi pro mensura conservatio subjecti et bonæ habitudinis sufficientis ad ea quæ agenda incumbunt ; et propter hoc dicitur Rom., 12, 1 : *Rationabile* sit *obsequium vestrum.*

3° Debet esse major de uno peccato quam de alio.

De contritione dupliciter possumus loqui : uno modo secundum quod sigillatim singulis peccatis respondet, et sic quantum ad dolorem superioris affectus requiritur quod de majori peccato quis doleat magis, quia ratio doloris est magis in uno quam in alio, scilicet offensa Dei ; ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur. Similiter etiam cum majori culpæ major pœna debeatur, etiam dolor sensitivæ partis debet esse major de majori peccato.

Alio modo potest accipi contritio, secundum quod est simul de omnibus peccatis, sicut in actu justificationis, et sic habitualiter vel virtualiter est magis de uno quam de alio. Qui enim dolet de hoc quod Deum offendit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus vel minus per ea Deum offendit. Quamvis quodlibet peccatum mortale a Deo avertat, et gratiam tollat, tamen quoddam plus elongat quam aliud, in quantum habet majorem dissonantiam ex sua inordinatione ad ordinem divinæ bonitatis quam aliud.

(4, Dist., XVI, a. III.)

28 Julii

De duratione contritionis.

I. — Contritio debet durare usque ad finem vitæ.

In contritione est duplex dolor : unus rationis qui est detestatio peccati a se commissi ; alius sensitivæ partis qui ex isto consequitur. Et quantum ad utrumque, contritionis tempus est totius vitæ præsentis status. Quamdiu enim est aliquis in statu viæ, detestatur incommoda quibus a perventione ad terminum viæ retardatur vel impeditur. Unde cum per peccatum præteritum vitæ nostræ cursus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum, recuperari non potest, oportet quod semper in vitæ hujus tempore status contritionis maneat, quantum ad peccati detestationem. Semper quidem debet homini displicere quod peccavit. Si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniæ perderet.

Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut pœna a voluntate assumitur ; quia enim homo pœnam æternam peccando meruit, et

contra æternum Deum peccavit, debet, pœna æterna in temporalem mutata, saltem dolor in toto hominis æterno, id est in statu hujus vitæ, manere. Et propter hoc dicit Hugo de S. Victore, quod Deus absolvens hominem a culpa et a pœna æterna ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati.

Dolor contritionis respondet culpæ ex parte aversionis, ex qua habet quamdam infinitatem ; unde et contritio semper debet manere.

Agere pœnitentiam interiorem qua quis dolet de peccato commisso, et exteriorem qua quis exteriora signa doloris ostendit, pertinet ad statum incipientium, qui scilicet de novo redeunt a peccato. Sed pœnitentia interior habet locum etiam in proficientibus et perfectis, secundum illud Ps. 83, 7 : *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Unde et ipse Apostolus dicebat : *Non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

2° Quomodo debet esse continua.

Cum contritio, quantum ad id quod est displicentia quædam in appetitu rationis sit actus pœnitentiæ virtutis, nunquam potest ibi esse superfluum, nec quantum ad intensionem, nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis necessarium pro tempore illo. Unde quanto magis homo continue in actibus hujus displicentiæ esse

potest, tanto melius est, dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet.

Sed passiones possunt habere superfluum et diminutum et quantum ad intensionem et quantum ad durationem. Et ideo sicut passio doloris quem voluntas assumit, debet esse moderate intensa, ita debet moderate durare, ne si nimis duret, homo in desperationem et pusillanimitatem et hujusmodi vitia labatur.

(4, Dist. XVII, q. 2.)

29 julii

De vitanda sollicitudine et de uno quærendo

Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Luc, 10, 41.

I. — Sollicitudo temporalium rerum tripliciter potest esse illicita.

1° Ex parte ejus de quo sollicitamur, si scilicet temporalia tanquam finem quæramus.

2° Potest esse temporalium sollicitudo illicita propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo a spiritualibus quibus principalius inservire debet, retrahitur, et ideo dicitur Matth. 13, 22, quod sollicitudo sæculi suffocat verbum.

3° Ex parte timoris superflui, quando aliquis timet ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit : primo propter majora beneficia homini præstita divinitus præter suam sollicitudinem, scilicet corpus et animam ; secundo propter subventionem qua Deus animalibus et plantis subvenit absque opere humano, secundum proportionem suæ naturæ ; tertio ex divina providentia, propter cujus ignorantiam gentiles circa temporalia bona quærenda principalius sollicitantur.

Et ideo concludit quod principaliter nostra sollicitudo esse debet de spiritualibus bonis, sperantes quod etiam temporalia nobis provenient ad necessitatem, si fecerimus quod debemus. (2, 2, q. LV, a. VI.)

II. — De uno quærendo : *porro unum est necessariam.*

Quum Martha esset sollicita circa plurima, voluit Dominus eam ad unum attrahere. Perfectio enim hominis est quod cor ejus congregetur in unum ; quia quanto aliquid est magis unum,

tanto est Deo similius, qui vere unus est. Ps. 26 : *Unam petii a Domino*. Sed contra hoc patitur quærens divitias aut res mundi, quia incidit in desideria multa, et cor ejus trahitur ad diversa. (*In 1 Tim.*, VI.)

Ideo etiam Spiritus sanctus in B. Virgine purgationem fecit, quasi eam præparans ad Christi conceptionem : quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis, sed mentem ejus magis in unum colligens, et a multitudine sustollens. (3. q. XXVII, a. III, 3^m.)

Hoc autem unum est Deus cui adhæret homo per charitatem. Perfectio enim hominis consistit in hoc quod adhæreat Deo. Anima autem potest adhærere Deo dupliciter perfecte. Uno modo, ut totam actionem suam referat in Deum actualiter, et cognoscat ut cognoscibilis est, et hæc est patriæ.

Sed inhæsio viæ est duplex : una de necessitate salutis, ad quam omnes tenentur, scilicet ut in nullo cor suum quis applicet ad id quod est contra Deum, sed habitualiter referat totam vitam in eum. Et isto modo dicit Dominus Matth., 22 : *Diliges Dominum Deum tuum*. Alia est supererogationis, quando quis ultra communem statum inhæret Deo, quod fit removendo cor a temporalibus, et sic magis appropinquat ad patriam, quia quanto deficit cupiditas, tanto plus crescit charitas. (*In Phil.*, III.)

30 Julii

Quam insigne beneficium quando quis a peccato resurgit.

Homo nullo modo potest resurgere a peccato per seipsum sine auxilio gratiæ.

I. — Resurgere enim a peccato est reparari hominem ad ea quæ peccando amisit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, scilicet maculam, corruptionem naturalis boni et reatum pœnæ. Maculam quidem incurrit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Bonum autem naturæ corrumpitur inquantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjecta; hoc enim ordine sublato, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus vero pœnæ est per quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam.

II. — Manifestum est autem de singulis horum trium quod non possunt reparari nisi per Deum.

Cum enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari, nisi Deo denuo illustrante. Unde requiritur habituale donum quod est gratiæ lumen.

Ordo naturæ reparari non potest ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente.

Similiter reatus pœnæ æternæ remitti non potest nisi a Deo in quem est offensa commissa et qui est hominum judex.

Et ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc quod homo a peccato resurgat, et quantum ad habituale donum et quantum ad interiorem Dei motionem.

Cum dicitur *Exurge et illuminabit te Christus*, non est intelligendum quod tota exsurrectio a peccato præcedat illuminationem gratiæ, sed quia cum homo per liberum arbitrium a Deo motum surgere conatur a peccato, recipit lumen gratiæ justificantis.

Naturalis enim ratio non est sufficiens principium sanitatis quæ est in homine per gratiam justificantem, sed hujus principium est gratia quæ tollitur per peccatum. Et ideo non potest homo per seipsum reparari, sed indiget ut denuo ei lumen gratiæ infundatur, sicut si corpori mortuo resuscitando denuo infunderetur anima. Non potest per seipsum reparari neque ad bonum sibi connaturale et multo minus ad bonum supernaturale justitiæ.

1, 2, q. CIX, a. VII.)

31 Julii

De necessitate habendi cor suum firmatum in Deo per gratiam habitualem ad vitanda peccata.

I. — In statu naturæ corruptæ, indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato abstineat.

Quæ quidem sanatio primo fit in præsenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum omnino reparato. Unde Apostolus Rom., VII, in persona hominis reparati dicit : *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*

In quo statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, non autem ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis. Cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii, non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.

II. — Similiter, antequam hominis ratio in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare et secundum aliquod tempus, quia non est necesse quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat absque peccato mortali esse non potest. Unde et Gregorius dicit quod peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur suo pondere ad aliud trahit.

Et hujus ratio est quia sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo et in ipso constituere finem suæ voluntatis. Per finem vero oportet quod regulentur omnes actus humani, sicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Ratione igitur hominis non totaliter existente subjecta Deo, consequens est ut contingant multæ inordinationes in ipsis actibus rationis. Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa propter quæ consequenda vel vitanda, homo secedit a Deo, contemnendo præcepta ipsius, et ita peccat mortaliter. Præcipue quia in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum et secundum habitum præexistentem, quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti et præter inclinationem habitus.

Sed quia homo non potest semper esse in tali

præmeditatione, non potest contingere ut diu permaneat quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatæ a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur.

(1, 2, q. CIX, a. VIII.)

1 Augusti

De defectu spei.

I. — Infidelitas provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit ; odium Dei, ex hoc quod voluntas hominis ipsi divinæ bonitati contrariatur ; desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum secundum quod in se est ; desperatio autem secundum quod ejus bonum participatur a nobis. Unde majus peccatum est secundum se non credere Dei veritatem vel odio habere Deum quam non sperare consequi gloriam ab ipso.

Sed si comparetur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic est periculosior, quia per spem revocamur a malis, et inducimur ad bona

prosequenda ; et ideo sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia et a bonis laboribus retrahuntur. Unde super illud Prov., 24, 10 : *Si desperaveris lapsus in die angustiæ, minuetur fortitudo tua*, dicit Glossa : « Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, et in generalibus hujus vitæ laboribus, et quod pejus est in fidei certamine constantiam perdit. » Et Isidorus : Perpetrare flagitium aliquod mors animæ est, sed desperare est descendere in infernum.

II. — Dupliciter vero potest in aliquo spes deficere de beatitudine obtinenda : uno modo quia non reputat eam ut bonum arduum ; alio modo quia non reputat eam ut possibilem adipisci per se vel per alium.

Ad hoc autem quod bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, præcipue perducimur per hoc quod affectus noster est infectus amore delectationum corporalium, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ. Nam ex affectu harum delectationum contingit quod homo fastidit bona spiritualia, et non sperat ea quasi quædam bona ardua. Et secundum hoc desperatio causatur ex luxuria.

Ad hoc autem quod aliquod bonum arduum non æstimet ut possibile sibi adipisci per se vel per alium, perducitur ex nimia dejectione ; quæ, quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod nunquam possit ad aliquod bonum relevari. Et

quia acedia est tristitia quædam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur.

Spes quidem videtur procedere ex consideratione divinorum beneficiorum et maxime ex consideratione Incarnationis. Sed ipsa etiam negligentia considerandi divina beneficia ex acedia provenit. Homo enim affectus aliqua passione præcipue illa cogitat quæ ad illam pertinent passionem. Unde homo in tristitiis constitutus non de facili aliqua magna et jucunda cogitat, sed solum tristia, nisi per magnum conatum se avertat a tristibus.

(2, 2, q. XX, a. III et IV.)

2 Augusti

De pravo sui amore.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ps. X.

I. — Dicitur homo esse aliquid secundum principalitatem ; principale autem in homine est mens rationalis ; secundarium vero est natura sensitiva

et corporalis, quorum primum Apostolus nominat interiorem hominem ; secundum, exteriorem II Cor., v. Boni homines æstimant principale in seipsis rationalem naturam, sive interiorem hominem, unde secundum hoc æstimant se esse quod sunt. Mali autem æstimant principale in seipsis naturam sensitivam et corporalem, scilicet exteriorem hominem ; unde non recte cognoscentes seipsos, non vere diligunt seipsos, sed diligunt id quod seipsos esse reputant.

II. — Boni autem vere cognoscentes seipsos, vere seipsos diligunt. Et hoc probatur per quinque quæ sunt amicitiæ propria.

Unusquisque enim amicus primo quidem vult suum amicum esse et vivere; 2° vult ei bona ; 3° operatur bona ad ipsum ; 4° convivit ei delectabiliter ; 5° concordat cum ipso quasi in iisdem delectatus et contristatus. Et secundum hoc boni diligunt seipsos quantum ad interiorem hominem, quia etiam volunt ipsum servari in sua integritate, et optant ei bona quæ sunt bona spitualia, et etiam ad ea assequenda operam intendunt, et delectabiliter ad cor proprium redeunt, quia ibi inveniunt bonas cogitationes in præsenti, et memoriam bonorum præteritorum, et spem futurorum bonorum, ex quibus delectatio causatur. Similiter etiam non patiuntur in seipsis voluntatis dissensionem, quia tota anima eorum tendit in unum,

III. — E contrario autem mali non volunt conservari in integritate interioris hominis, neque appetunt ejus spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum convivere, redeundo ad cor, quia inveniunt ibi mala et præsentia et præterita et futura quæ abhorrent, neque etiam sibiipsis concordant propter conscientiam remordentem, secundum illud Psalmi : *Arguam te et statuam contra fáciem tuam.* Et per eadem probari potest quod mali amant seipsos secundum corruptionem exterioris hominis ; sic autem boni non amant seipsos.

Amor sui igitur qui est principium peccati est proprius malorum, perveniens usque ad contemptum Dei ; quia mali sic cupiunt exteriora bona quod spiritualia contemnunt.

(2, 2, q. XXV. a. VII.)

3 Augusti

De stultitia.

I. — Stultitia importat hebetudinem cordis et obtusionem sensuum. Hebetudo autem acuitati opponitur. Dicitur enim per similitudinem intellec-

tus acutus quando potest penetrare ad intima eorum quæ proponuntur. Unde hebetudo mentis est per quam mens ad intima penetrare non sufficit. Stultus autem dicitur ex hoc quod perverse judicat circa communem finem vitæ, et ideo proprie opponitur sapientiæ quæ facit rectum judicium circa universalem causam. (2, 2, q. VIII. a. VI. 1um.)

II. — Stultitia est peccatum. Importat enim quemdam stuporem sensus in judicando et præcipue circa altissimam causam quæ est finis ultimus et summum bonum. Circa quod aliquis potest pati stuporem in judicando dupliciter : uno modo ex indispositione naturali, sicut patet in amentibus ; et talis stultitia non est peccatum. Alio modo in quantum immergit homo sensum suum rebus terrenis ; ex quo redditur ejus sensus ineptus ad percipiendum divina, secundum illud I Cor., 2, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei :* sicut etiam homini habenti gustum infectum malo humore non sapiunt dulcia et talis stultitia est peccatum.

III. — Stultitia est filia luxuriæ. Stultitia enim, secundum quod est peccatum, provenit ex hoc quod sensus spiritualis hebetatus est, ut non sit aptus ad spiritualia dijudicanda. Maxime autem sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam quæ est circa maximas delectationes quibus

anima maxime absorbetur, et ideo stultitia quæ est peccatum maxime nascitur ex luxuria.

Ad stultitiam pertinet quod homo habeat fastidium de Deo et de donis ipsius. Unde Gregorius duo numerat inter filias luxuriæ quæ pertinent ad stultitiam, scilicet odium Dei et desperationem futuri sæculi, quasi dividens stultitiam in duas partes.

(2, 2, q. XLVI.)

4 Augusti

De acedia.

1° Acedia est peccatum.

Est enim quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat. Et ideo importat quoddam tædium operandi. Unde in Glossa super illud Ps. 106 : *Omnem escam abominata est anima eorum*, dicitur quod acedia est torpor mentis bona negligentis inchoare.

Hujusmodi tristitia secundum se est mala, quando est de eo quod est apparens malum et vere bonum, sicut quando est de bono spirituali et interno, quod non potest esse malum nisi ap-

parenter, in quantum contrariatur carnalibus desideriis. Sed etiam tristitia quæ est de vere malo, mala est secundum effectum, si sic aggravet hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat. Et ideo acedia, id est tristitia spiritualis boni, est peccatum.

Acediæ vero impugnatio resistendo superanda est, id est per cogitationem perseverantem, quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto nobis magis placentia redduntur, ex quo cessat acedia.

2° Acedia est speciale vitium, non quia tristatur de spirituali bono in communi, nam omne vitium refugit spirituale bonum virtutis oppositæ ; neque in quantum refugit spirituale bonum prout est laboriosum vel molestum corpori aut delectationis ejus impeditivum, sed in quantum tristatur de bono divino. Omnia enim spiritualia bona quæ sunt in actibus singularum virtutum ordinantur ad unum spirituale bonum, quod est bonum divinum, circa quod est specialis virtus quæ est charitas. Unde ad quamlibet virtutem pertinet gaudere de proprio spirituali bono quod consistit in proprio actu ; sed ad charitatem pertinet specialiter illud gaudium spirituale quo quis gaudet de bono divino. Et similiter illa tristitia qua quis tristatur de bono spirituali, quod est in actibus singularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia, sed tristari de

bono divino de quo charitas gaudet, pertinet ad speciale vitium quod acedia vocatur.

3° Acedia est peccatum mortale.

Peccatum enim mortale dicitur quod spirituale m vitam tollit quæ est per charitatem, secundum quam Deus nos inhabitat. Unde illud peccatum ex suo genere est peccatum mortale quod de se secundum propriam rationem contrariatur charitati. Hujusmodi autem est acedia. Nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo, acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum.

Si autem motus acediæ est in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum, tunc est peccatum veniale ; si vero pertingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, et horrorem et detestationem boni divini, tunc est peccatum mortale.

(2, 2, q. XXXV, a. I, II et III.)

5 Augusti

De imprudentia.

Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo justi, et homo imprudens dissipabit illud. Prov. 21, 20.

I. — Spiritualis thesaurus gratiæ non tollitur nisi per peccatum. Tollitur autem per imprudentiam ; ergo imprudentia est peccatum.

Imprudentia dicitur in quantum aliquis caret prudentia quam quis natus est et debet habere, et secundum hoc est peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. Accipitur etiam imprudentia secundum quod ratio contrario modo movetur vel agit prudentiæ. Unde si hoc contingat per aversionem a regulis divinis est peccatum mortale, puta cum quis quasi contemnens et repudians divina documenta, præcipitanter agit. Si vero præter eas agat absque contemptu et absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis est peccatum veniale.

II. — Imprudentia est generale peccatum per participationem. Sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum, ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis. Nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis, quod pertinet ad imprudentiam.

Imprudentia etiam est generale peccatum, in quantum continet sub se multas species, et hoc est tripliciter :

1° Per oppositum ad diversas partes subjectivas

prudentiæ. Sicut enim distinguitur prudentia in monasticam, quæ est regitiva unius, et in alias species quæ sunt multitudinis regitivæ, ita etiam imprudentia.

2° Secundum partes quasi potentiales prudentiæ, quæ sunt virtutes adjunctæ et accipiuntur secundum diversos actus rationis, et hoc modo quantum ad defectum consilii est præcipitatio sive temeritas; quantum vero ad defectum judicii, est inconsideratio; quantum vero ad ipsum præceptum quod est proprius actus prudentiæ, est inconstantia et negligentia.

3° Per oppositum ad ea quæ requiruntur ad prudentiam, quæ sunt quasi partes integrales prudentiæ. Sed quia omnia illa ordinantur ad dirigendos prædictos tres rationis actus, inde est quod omnes defectus oppositi reducuntur ad quatuor prædictas partes : sicut incautela et incircumspectio includuntur sub inconsideratione; quod autem aliquis deficiat a docilitate, vel memoria, vel ratione, pertinet ad præcipitationem; improvidentia vero et defectus intelligentiæ et solertiæ pertinet ad negligentiam et inconstantiam.

(2, 2, q. LIII, a. 1 et II.)

6 Augusti

De transfiguratione Christi.

Dominus discipulis suis prænuntiata sua passione induxerat eos ad suæ passionis sequelam. Oportet autem ad hoc quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoscat; sicut sagittator non recte jaciet sagittam, nisi prius signum prospexerit in quod jaciendum est. Unde et Thomas dixit : *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Et hoc præcipue necessarium est, quando via est difficilis et aspera, et iter laboriosum, finis vero jucundus.

Christus autem per suam passionem ad hoc pervenit ut gloriam obtineret non solum animæ, quam habuit a principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Luc. : *Hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Ad quam etiam perducit eos qui vestigia suæ passionis sequuntur, secundum illud Act., 14, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*

Et ideo conveniens fuit ut discipulis suis glo-

riam suæ claritatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundum illud Phil., 3, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Unde Beda dicit : Pia provisione factum est ut contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata, fortius adversa tolerarent. (3ª, q. XLV, a. 1.)

Et duxit illos in montem excelsum seorsum. In quo docet quod necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed amore supernorum semper ad cælestia se erigant, et ut ostendat discipulis quatenus gloriam divinæ claritatis non in hujus sæculi profundo quærant, sed in cœlestis beatitudinis regno. Ducimur autem seorsum, quia sancti viri toto animo et fidei intentione separati sunt a malis, funditus autem separabuntur in futuro.

Domine, bonum est nos hic esse. Si Petrus videns glorificatam humanitatem nunquam voluit ab ejus visione separari, quid putandum est de his qui divinitatem ejus videre meruerunt? Dicitur quod non sciebat quid diceret stupore fragilitatis humanæ. Sed hoc sciebat quod solum bonum hominis est intrare in gaudium Domini sui. (*De Humanit. Christi.*)

7 Augusti

De præcipitatione.

Dicitur Prov., 4, 19 : *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Tenebrosæ autem viæ impietatis pertinent ad imprudentiam. Ergo corruere sive præcipitari ad imprudentiam pertinet.

Præcipitatio in actibus animæ metaphorice dicitur secundum similitudinem a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundum corporalem motum quod a superiori in ima pervenit secundum impetum quemdam proprii motus vel alicujus impellentis, non ordinate descendendo per gradus.

Summum autem animæ est ipsa ratio ; imum autem est operatio per corpus exercita ; gradus autem medii per quos oportet ordinate descendere, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum : per quos quidem gradus aliquis ordinate descendit recte consiliando. Si quis autem feratur ad agen-

dum per impetum voluntatis vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cum ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quod vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

Illa dicuntur fieri temere quæ ratione non reguntur. Quod quidem potest contingere dupliciter, uno modo ex impetu voluntatis vel passionis; alio modo ex contemptu regulæ dirigentis, et hoc proprie importat temeritas. Unde videtur ex ea radice superbiæ provenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ. Præcipitatio autem se habet ad utrumque.

(2, 2, q. LIII, a. III.)

8 Augusti

De negligentia.

1° Negligentia est peccatum.

Negligentia importat defectum debitæ sollicitudinis; omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati. Unde manifestum est quod negligentia habet rationem peccati, et eo modo quo

sollicitudo est specialis virtutis actus, necesse est quod negligentia sit speciale peccatum.

In quolibet enim peccato necesse est esse defectum circa aliquem actum rationis, puta defectum consilii et aliorum hujusmodi. Unde sicut præcipitatio est speciale peccatum propter specialem actum rationis qui prætermittitur, scilicet consilium, quamvis possit inveniri in quolibet genere peccatorum, ita negligentia est speciale peccatum propter defectum specialis actus rationis, qui est sollicitudo, quamvis invenitur aliqualiter in omnibus peccatis.

Materia autem negligentiæ proprie sunt bona quæ quis agere debet ; non quod ipsa sint bona, cum negligenter aguntur, sed quia per negligentiam accidit defectus bonitatis in eis, sive prætermittatur totaliter actus debitus propter defectum sollicitudinis, sive etiam aliqua debita circumstantia actus.

2° Negligentia prudentiæ opponitur.

Negligentia directe opponitur sollicitudini. Sollicitudo autem pertinet ad rationem, et rectitudo sollicitudinis ad prudentiam. Unde per oppositum negligentia ad imprudentiam pertinet. Negligentia non est idem quod pigritia vel torpor qui pertinet ad acediam. Consistit enim in defectu interioris actus ad quem pertinet etiam electio ; pigritia autem et torpor magis pertinent ad executionem, ita tamen quod pigritia importat tarditatem ad exequen-

dum, torpor remissionem quamdam importat in ipsa executione.

Dicitur Eccl., 7, 19 : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Timor enim Dei operatur ad vitationem cujuslibet peccati, quia ut dicitur Prov., 15, 27 : *Per timorem Domini declinat omnis a malo.* Et ideo timor facit negligentiam vitare, non tamen ita quod directe negligentia timori opponatur, sed in quantum timor excitat hominem ad actus rationis. Unde dictum est quod timor facit consiliativos.

3° Negligentia potest esse peccatum mortale. Unde habetur Prov., 19, 16 : *Qui negligit viam suam mortificabitur.*

Negligentia provenit ex quadam remissione voluntatis per quam contingit quod ratio non sollicitatur ut præcipiat ea quæ debet. Si quod prætermittitur per negligentiam sit de necessitate salutis erit peccatum mortale. Alio modo ex parte causæ potest esse peccatum mortale, si voluntas in tantum sit remissa circa ea quæ sunt Dei, ut totaliter a Dei charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale, præcipue quando negligentia sequitur ex contemptu. Alioquin si negligentia consistat in prætermissione alicujus actus vel circumstantiæ quæ non est de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu fervoris, tunc non est mortale, sed veniale.

(2, 2, q. LIV.)

9 Augusti

De intemperantia.

1° Intemperantia est puerile peccatum.

Intemperantia enim est peccatum superfluæ concupiscentiæ quæ assimilatur puero quoad tria :

Primo quidem quantum ad id quod uterque appetit ; sicut enim puer, ita et concupiscentia appetit aliquid turpe. Cujus ratio, quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid est ordinatum secundum rationem. Puer autem non attendit ad ordinem rationis, et similiter concupiscentia non audit rationem.

Secundo conveniunt quantum ad eventum. Puer enim, si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate : unde Eccli., 30, 8, dicitur : *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps.* Ita etiam et concupiscentia, si ei satisfiat, majus robur accipit. Unde Augustinus dicit : Dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

Tertio quantum ad remedium quod utrique præbetur. Puer enim emendatur per hoc quod coercetur. Unde dicitur Prov., 23, 13 : *Noli subtrahere a puero disciplinam. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Et similiter dum concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod Augustinus dicit quod mente in spiritualia suspensa, atque ibi fixa et manente, consuetudinis, scilicet carnalis concupiscentiæ, impetus frangitur, et paulatim repressus extinguitur ; major enim erat cum eum sequeremur ; non omnino nullus, sed certe minor, cum refrenamus. Et ideo Philosophus dicit quod quemadmodum puerum oportet secundum præceptum pædagogi vivere, sic et concupiscibile consonare rationi.

2° Intemperantia est peccatum maxime exprobrabile.

Est enim exprobrabilis propter duo :

Primo quia maxime repugnat excellentiæ hominis. Est enim circa delectationes communes nobis et brutis. Unde Ps. 48, 21, dicitur : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

Secundo, quia maxime repugnat ejus claritati vel pulchritudini, in quantum in delectationibus circa quas est intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua est tota claritas et pulchri-

tudo virtutis. Unde et hujusmodi delectationes dicuntur maxime serviles.

(2, 2, q. CXLII, a. II et IV.)

10 Augusti

De luxuriæ filiabus.

Dicuntur esse filiæ luxuriæ, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi et horror futuri.

Quando enim inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est quod superiores vires impediantur et deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maxime appetitus inferior, concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis et delectationis. Et ideo per luxuriam deordinantur superiores vires, ratio et voluntas.

Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. 1° Simplex intelligentia quæ apprehendit aliquem finem ut bonum. Et hic actus impeditur per luxu-

riam. Dan., 13, 56 : *Species decepit te et concupiscentia subvertit cor tuum.* Et quantum ad hoc ponitur *cæcitas mentis.*

2° Consilium de his quæ sunt agenda propter finem ; et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Unde Terent. dicit loquens de amore libidinoso : Quæ res in se neque consilium neque modum ullum habet, eam consilio regere non potes. Et quantum ad hoc ponitur *præcipitatio,* quæ importat subtractionem consilii.

3° Judicium de agendis, et hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Dan., 13, 9, de senibus luxuriosis : *Averterunt sensum suum... ut non recordarentur judiciorum justorum.* Et quantum ad hoc ponitur *inconsideratio.*

4° Præceptum rationis de agendo qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum homo impeditur ex impetu concupiscentiæ ne exequatur id quod decrevit esse faciendum. Et quantum ad hoc ponitur *inconstantia.* Unde Terentius dicit de quodam qui dicebat se recessurum ab amica : Hæc verba una falsa lacrymula restinguet.

Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus : quorum unus est appetitus finis, et quantum ad hoc ponitur *amor sui,* quantum ad delectationem quam inordinate appetit ;

et per oppositum ponitur *odium Dei*, in quantum scilicet prohibet delectationem concupitam.

Alius autem est appetitus eorum quæ sunt ad finem : et quantum ad hoc ponitur *affectus præsentis sæculi*, in quo aliquis vult frui voluptate ; et per oppositum ponitur *desperatio futuri sæculi*, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit eas.

(2, 2, q. CLIII, a. v.)

11 Augusti

De modo luxuriam vincendi.

Sciendum quod in fugiendo istud luxuriæ peccatum oportet multum laborare, cum sit intrinsecum : difficilius enim vincitur inimicus familiaris. Vincitur autem quatuor modis.

1° Occasiones exteriores fugiendo, ut puta malam societatem et omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum. Eccli., IX, 5-9 : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec*

oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Prov., VI, 27 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Et ideo præceptum fuit Lot ut fugeret ab omni circa Sodomam regione. Gen., 19, 17.

2° Cogitationibus aditum non præbendo, quia occasio sunt excitandæ concupiscentiæ, et hoc faciendum est per carnis afflictionem. I Cor., IX, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.*

3° Orationibus insistendo : quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Sap., VIII, 21 : *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Matth., 17, 20 : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Si duo pugnarent et velles unum juvare, alterum vero non, oportet primo auxilium dare, secundo vero subtrahere. Inter spiritum autem et carnem est prælium continuum. Unde oportet, si vis quod spiritus vincat, quod des ei auxilium, et hoc fit per orationem, carni vero subtrahas, et hoc fit per jejunium ; nam caro per jejunium debilitatur.

4° Licitis occupationibus insistendo. Eccli., 33, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.* Ezech., 16, 49 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia et otium.* Hieronymus : Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. Inter omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. Hieronymus : Ama studia scripturarum, et carnis vitia non amabis.

(*In Decalog.*, c. XXX.)

12 Augusti

De superbia.

Peccatum superbiæ dupliciter potest considerari : uno modo secundum propriam speciem quam habet ex ratione proprii objecti, et hoc modo superbia est speciale peccatum, quia habet speciale objectum. Est enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, qui scilicet non est secundum rationem rectam. Nam eorum quæ naturaliter homo appetit, ratio est ordinatrix, et ita s aliquis a regula rationis recedit vel in plus vel

in minus, erit talis appetitus vitiosus, sicut patet de appetitu cibi qui naturaliter desideratur. Superbia autem appetit excellentiam in excessu ad rationem rectam.

Alio modo potest considerari secundum redundantiam quamdam in alia peccata, et secundum hoc habet quamdam generalitatem, in quantum scilicet ex superbia oriri possunt omnia peccata, duplici ratione :

1° Per se, in quantum scilicet alia peccata ordinantur ad finem superbiæ, qui est propria excellentia ad quam potest ordinari omne id quod quis inordinate appetit ;

2° Indirecte et quasi per accidens, in quantum homo per superbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur a peccando, secundum illud Jer., 2, 20 : *Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti : non serviam.*

(2, 2, q. CLXII, a. II.)

13 Augusti

De superbiæ gravitate.

1° Superbia est peccatum mortale.

Gregorius dicit quod evidentissimum reprobo-

rum signum superbia est, ac contra humilitas electorum. Sed homines non fiunt reprobi pro peccatis venialibus. Ergo superbia est peccatum mortale.

Superbia humilitati opponitur, quæ proprie respicit subjectionem hominis ad Deum. Unde e contrario superbia proprie respicit defectum hujus subjectionis, secundum quod aliquis se extollit supra id quod est sibi præfixum secundum divinam regulam vel mensuram. II Cor., 10, 13 : *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram qua mensus est nobis Deus.* Et ideo dicitur Eccli. 10, 14 quod *initium superbiæ hominis est apostatare a Deo,* quia in hoc radix superbiæ consideratur quod homo aliqualiter non subjicitur Deo et regulæ ipsius. Manifestum est autem quod hoc ipsum quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis, hoc enim est averti a Deo. Unde superbia est peccatum mortale. Sed accidit quod aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dum eis ratio non consentit.

2° Superbia est gravissimum peccatorum.

In peccato duo attenduntur, conversio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato, et aversio a bono incommutabili quæ est formalis et completiva ratio peccati. Ex parte autem conversionis non habet superbia quod sit maximum peccatorum ; quia celsitudo quam superbus inordinate appetit, secundum suam ratio-

nem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis.

Sed ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem, quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo et ejus regulæ subjici. Unde Boetius dicit quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. Propter quod specialiter dicitur Jac., 4, 6 : quod *Deus superbis resistit*. Et ideo averti a Deo et ejus præceptis quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus. Et quia id quod est per se semper potius est eo quod est per aliud, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum genus suum, quia excedit in aversione quæ formaliter complet peccatum.

Ex parte aversionis est etiam maximum peccatorum, utpote aliis peccatis magnitudinem præstans. Nam per hoc ipsum infidelitatis peccatum gravius redditur, si ex superbiæ contemptu procedat, quam si ex ignorantia vel infirmitate proveniat.

(2, 2, q. CLXII, a. v et vi.)

14 Augusti

De initio omnis peccati.

I. — *Initium omnis peccati est superbia.*

Quidam dicunt superbiam dici tripliciter : uno modo secundum quod superbia significat inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, et sic dicunt quod est speciale peccatum. Alio modo, secundum quod importat quemdam actualem contemptum Dei, quantum ad hunc effectum qui est non subdi ejus præcepto, et sic dicunt quod est generale peccatum. Tertio modo, secundum quod importat quamdam inclinationem ad hujusmodi contemptum ex corruptione naturæ, et sic dicunt quod est initium omnis peccati. Et differt a cupiditate ; quia cupiditas respicit peccatum ex parte conversionis ad bonum commutabile, ex quo peccatum quodammodo nutritur et fovetur, et propter hoc cupiditas dicitur *radix* ; sed superbia respicit peccatum ex parte aversionis a Deo, cujus præcepto homo subdi recusat ; et ideo vocatur *initium*, quia ex parte aversionis incipit ratio mali.

Et hæc quidem quamvis vera sint, tamen non

sunt secundum sapientis qui dicendo : *Initium omnis peccati est superbia,* loquitur de superbia, secundum quod est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Et ideo superbia, etiam secundum quod est speciale peccatum, est initium omnis peccati.

In actibus enim voluntariis duplex ordo invenitur, intentionis et executionis. In primo ordine habes rationem principii finis. Finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendis est ut homo per illa quamdam perfectionem singularem et excellentiam habeat. Et ideo ex hac parte superbia quæ est appetitus excellentiæ ponitur initium omnis peccati. Sed ex parte executionis est primum id quod præbet opportunitatem adimplendi omnia desideria peccati, quod habet rationem radicis, scilicet divitiæ. Et ideo ex hac parte avaritia ponitur esse radix omnium malorum. (1, 2, q. LXXXIV, a. II).

2° Superbia est regina et mater omnium vitiorum.

Dupliciter considerari potest, uno modo secundum se, prout est quoddam speciale peccatum ; alio modo, secundum quod habet quamdam universalem influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur esse specialia peccata ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideo quidam considerantes superbiam connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus.

Gregorius vero considerans universalem influentiam quam habet in omnia vitia non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam reginam omnium vitiorum et matrem. Unde dicit : Ipsa vitiorum regina, superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur. (2, 2, q. CLXII, a. VIII.)

15 Augusti

De Assumptione B. V. M.

I. — *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Eccli XXIV. Per sex arbores quibus comparatur exaltatio B. Virginis in Epistola intelligi possunt sex ordines beatorum.

Cedrus significat angelos propter naturæ sublimitatem.

Cypressus significat patriarchas et prophetas per odoris suavitatem ; unde de uno dictum est : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Gen., XXVII.

Palma significat Apostolos propter gloriosum de universo mundo triumphum. Palma etiam significat victoriam.

Rosa significat martyres per effusionem sanguinis qui habet colorem rubeum. *Et quasi rosa plantata.* Eccli., XXXIX.

Oliva significat confessores propter oleum. Ps. LI : *Ego autem sicut oliva fructifera.*

Platanus significat virgines propter frigiditatem libidinis incendium extinguentem, crescit enim juxta aquas.

II. — Est ergo sensus quod Virgo est exaltata sicut angeli, patriarchæ et prophetæ, Apostoli, martyres, confessores et virgines; imo super choros angelorum et super omnes sanctos. Nec mirum :

Habuit enim meritum angelorum angelice vivendo. Hier. « In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis. » Idem : Virginitas soror est angelorum.

Habuit etiam meritum prophetæ, prophetando. Luc. I : *Beatam me dicent omnes generationes.* Vidit enim spiritu prophetico et prophetavit quod debebat beatificari ab omnibus gentibus et quod omnes gentes debebant recipere Filium Dei et suum.

Habuit meritum Apostolorum et Evangelistarum, docendo. Multa enim scripta sunt et prædicata quæ non potuerunt sancti nisi per revelatio-

nem ejus scire, sicut de ingressu Angeli in conceptione et aliis pluribus.

Habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo. Luc., II. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Habuit meritum confessorum, devote Domino confitendo. Luc., I : *Magnificat anima mea Dominum.*

Habuit meritum virginum, inchoando virginitatem et conservando. Luc. I : *Ingressus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.*

Et sicut habuit meritum omnium, ita congruum fuit ut super omnes poneretur.

(*Serm.* LVIII.)

16 Augusti

De modo cavendi superbiam.

1° Aliquod peccatum difficile cavetur dupliciter : uno modo propter vehementiam impugnationis ; sicut ira vehementer impugnat propter suum impetum ; et adhuc difficilius est resistere concupiscentiæ propter ejus connaturalitatem. Et

talis difficultas vitandi peccatum, gravitatem peccati diminuit, quia quanto aliquis minoris tentationis impetu cadit, tanto gravius peccat.

Alio modo difficile est vitare aliquod peccatum propter ejus latentiam ; et hoc modo superbiam difficile est vitare, quia etiam ex ipsis bonis occasionem sumit. Et ideo signanter Augustinus dicit quod bonis operibus insidiatur ; et in Ps. 141, 4, dicitur : *In via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi.*

Et ideo motus superbiæ occulte subrepens non habet maximam gravitatem, antequam per judicium rationis deprehendatur ; sed postquam deprehensus fuerit per rationem, tunc facile evitatur, tum ex consideratione propriæ infirmitatis, secundum illud Eccli., 10, 9 : *Quid superbit terra et cinis* ? tum etiam ex consideratione magnitudinis divinæ, secundum illud Job., 15, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus* ? tum etiam ex imperfectione bonorum de quibus superbit homo, secundum illud Isa., 40, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri ;* et infra : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

2° Ad convincendum superbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia ; quæ etsi sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Unde Isidorus dicit : « omni vitio deteriorem esse superbiam,

seu propter hoc quod a summis personis et primis assumitur, seu quod de opere justitiæ et virtutis oritur, minusque culpa ejus sentitur. Luxuria vero carnis ideo notabilis omnibus est, et quoniam per se turpis est, et tamen superbia minor est. Sed qui detinetur superbia et non sentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confusione exurgat. »

Ex quo etiam patet gravitas ipsius superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere ; ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur ex hoc ipso quod pro ejus remedio Deus permittit ruere homines in alia peccata. (2, 2, q. CLXII, a. VI 1um et 3um.)

17 Augusti

De inani gloria.

I. — Proprie per nomen gloriæ designatur quod bonum alicujus deveniat in multorum notitiam et approbationem. Largius accepta, gloria non solum consistit in multitudinis cognitione, sed

etiam paucorum vel unius aut sui solius, dum aliquis proprium bonum suum consideret ut dignum laude. Quod autem aliquis bonum suum cognoscat et approbet, non est peccatum. I Cor., 2, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Similiter non est peccatum quod aliquis velit bona opera sua approbari. Dicitur enim : *Luceat lux vestra coram hominibus.* Et ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum, sed appetitus inanis vel vanæ gloriæ vitium importat. Nam quodlibet vanum appetere viti sum est. Ps. 4 : *Utquid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ?*

Potest autem gloria dici vana tripliciter : 1° ex parte rei, puta cum quis quærit gloriam de eo quod non est gloria dignum, sicut de re fragili et caduca ; 2° ex parte ejus a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum ; 3° ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem.

II. — Peccatum inanis gloriæ potest esse mortale, id est contrariari charitati, duplic iter :

Uno modo ratione materiæ de qua quis gloriatur, puta cum quis gloriatur de aliquo falso quod contrariatur divinæ reverentiæ secundum illud Ezech., 28, 2 : *Elevatum est cor tuum et dixisti :*

Deus ego sum. Et I Cor., 4, 7 : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Vel etiam cum quis bonum temporale de quo gloriatur præfert Deo; quod prohibetur Jer., 9, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur scire et nosse me.* Aut etiam cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei, sicut contra quosdam dicitur Joan., 12, 43 : *Qui dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.*

Alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam tanquam ad ultimum finem : ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, et pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea quæ sunt contra Deum. Et sic est peccatum mortale.

Inanis gloria est igitur periculosum peccatum, non tantum propter gravitatem sui, sed etiam quia est dispositio ad gravia peccata, in quantum per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus et nimis de seipso confidens, et sic etiam paulatim disponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis.

(2, 2, q. CXXXII, a. I et III.)

18 Augusti

Quod inanis gloria sit vitium capitale.

I. — De vitiis capitalibus dupliciter aliqui loquuntur. Quidam ponunt superbiam unum de vitiis capitalibus, et hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia. Gregorius autem superbiam ponit reginam omnium vitiorum, et inanem gloriam quæ immediate ab ipsa oritur, ponit vitium capitale. Et hoc rationabiliter.

Superbia enim importat inordinatum appetitum excellentiæ. Ex omni autem bono quod quis appetit, quamdam perfectionem et excellentiam consequitur ; et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ, et propter hoc videtur quod habeat quamdam generalem causalitatem super alia vitia, et non debeat computari inter specialia vitiorum principia quæ sunt vitia capitalia. Inter bona autem per quæ excellentiam homo consequitur, præcipue ad hoc operari videtur gloria, in quantum importat manifestationem bonitatis alicujus : nam bonum naturaliter amatur et honoratur ab omnibus. Et ideo sicut per

gloriam quæ est apud Deum, consequitur homo excellentiam in rebus divinis, ita etiam per gloriam hominum consequitur homo excellentiam in rebus humanis. Et ideo propter propinquitatem ad excellentiam quam homines maxime desiderant, consequens est quod sit multum appetibilis. Et quia ex ejus inordinato appetitu multa vitia oriuntur, ideo inanis gloria est vitium capitale.

II. — Ex inani gloria procedunt jactantia, præsumptio novitatum, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio et inobedientia, quæ sunt ejus filiæ.

Illa enim vitia quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicujus vitii capitalis dicuntur filiæ ejus. Finis autem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ. Ad quod potest homo tendere dupliciter :

Uno modo directe sive per verba, et sic est *jactantia*, sive per facta, et sic, si sint vera, habentia aliquam admirationem, est *præsumptio novitatum* ; si autem falsa sint, sic est *hypocrisis*.

Alio modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam indirecte, ostendendo se non esse alio minorem, et hoc quadrupliciter :

1° Quantum ad intellectum, et sic est *pertinacia*, per quam homo nimis innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ meliori.

2° Quantum ad voluntatem, et sic est *discordia*, dum non vult a propria voluntate discedere, ut aliis concordet.

3° Quantum ad locutionem, et sic est *contentio*, cum aliquis verbis clamore contra alium litigat.

4° Quantum ad factum, et sic est *inobedientia*, dum scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum.

(2, 2, q. CXXXII. a. IV et V.)

19 Augusti

De vestimentis virtutum.

Induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem. Isa. 52.

I. — Hæc vestimenta sunt virtutes quibus homo efficitur bonus. Lex quidem vetus continebat præcepta quædam de actibus harum virtutum, et hoc rationabiliter. Nam sicut intentio principa-

lis legis humanæ est ut faciat amicitiam hominum ad invicem, ita intentio divinæ legis est ut constituat principaliter amicitiam hominis ad Deum. Cum autem similitudo sit ratio amoris, secundum illud Eccli. 13, 19 : *Omne animal diligit simile sibi*, impossibile est esse amicitiam hominis ad Deum, qui est optimus, nisi homines efficiantur boni. Unde dicitur Levit. 19, 2 : *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Bonitas autem hominis est virtus, quæ facit bonum habentem. Et ideo oportuit præcepta legis etiam de actibus virtutum dari, et hæc sunt moralia præcepta, sicut *non occides, non furtum facies*, etc. (1, 2, q. XCIX, a. XI.)

II. — Sancti habent vestimenta virtutum de quibus gloriantur, et ista sunt : 1° ad protegendum. Isa., 61 : *Induit me Dominus vestimentis salutis et indumento justitiæ circumdedit me ;* 2° ad calefaciendum. Prov. *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis ; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus ;* 3° ad ornandum. Apoc. 3, 18 : *Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ.*

Hæc autem vestimenta debent esse candida in honestate operis. Eccl. 9, 8 : *Omni tempore vestimenta tua sint candida ;* munda in rectitudine intentionis. Isa. 9 : *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustione, et cibus ignis ;* odorifera per famæ divulgationem. Cant. 9, 11 :

Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. (*In Isa.*, 52.)

III. — Sed gloriosius et pretiosius vestimentum est ipse Christus. *Induimini Dominum Jesum Christum.* Rom., 13, in quo scilicet abundantissime fuerunt omnes virtutes. Induimus autem Jesum Christum, 1° per sacramenti susceptionem. Gal. 3 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* 2° per imitationem. Col. 3 : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum,* etc. Et Eph. 4 : *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia.* Dicitur autem induere Christum qui Christum imitatur, quia sicut homo continetur vestimento et sub ejus colore videtur, ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. (*In Rom.*, 13.)

Et sicut qui induitur aliqua veste, protegitur ac contegitur ea, et apparet sub colore vestis, colore proprio occultato, ita qui induit Christum, protegitur et contegitur a Christo Jesu contra impugnationes et æstus, et in eo nihil aliud apparet nisi quæ Christi sunt. Et sicut lignum accensum induitur igne et participat ejus virtutem, ita et qui Christi virtutes accipit, induitur Christo.

Et nota quod Christum aliqui induunt exterius per bonam conversationem, et interius per spiritus renovationem, et secundum utrumque per sanctitatis configurationem. (*In Gal.*, 3.)

20 Augusti

De virtute vera et magna.

I. — De virtute vera. Aliquid dicitur esse actus virtutis dupliciter : uno modo materialiter sicut actus justitiæ est facere justa, et talis actus virtutis potest esse sine virtute : multi enim non habentes habitum justitiæ justa operantur ex naturali ratione vel ex timore, vel ex spe aliquid adipiscendi.

Alio modo dicitur esse aliquid actus virtutis formaliter, sicut actus justitiæ est agere justa eo modo quo justus facit, scilicet prompte et delectabiliter, et hoc modo actus virtutis non est sine virtute.

Sic potest contingere quod eleemosyna fiat sine virtute charitatis, id est materialiter. Unde dicebat Apostolus : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Formaliter autem eleemosynam dare, id est propter Deum, delectabiliter et prompte, et omni eo modo quo debet, non est sine charitate (2, 2, q. XXXII, a. 1).

II. — De virtute magna.

In operibus virtutum duo sunt attendenda, scilicet id quod fit et modus faciendi. Contingit autem idem factum, quod fit secundum aliquam perfectam virtutem, fieri etiam non solum ab habente parvam virtutem, sed etiam non habente virtutem. Sed si attendamus ad modum faciendi, ille qui non habet virtutem, non potest operari sicut ille qui habet; nec ille qui habet parvam, sicut ille qui habet magnam, qui operatur faciliter et prompte et delectabiliter : quod non ita facit ille qui caret virtute, vel qui parvam habet.

Sic hoc opus quod est offerre se martyrio, vel etiam martyrium sufferre, potest facere non solum charitas perfecta, sed etiam imperfecta, et quod plus est, etiam ille qui caret charitate, secundum illud Apost. I Cor., 13 : *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam*, etc. Sed charitas perfecta hoc facit prompte et delectabiliter, sicut patet de Laurentio et Vincentio, qui in tormentis hilaritatem ostenderunt. Hoc autem non potest facere charitas imperfecta, vel etiam ille qui charitate caret. (Quodl. 4, q. X, a. 1).

III. — Exemplum de fide. Utrum fides possit esse major in uno quam in alio : respondendum affirmative.

Ubicumque enim invenitur parvum et magnum, ibi invenitur majus et minus. Sed in fide inveni-

tur magnum, et parvum. Dicit enim Dominus Petro Matth., 14, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Et mulieri dixit : *Mulier, magna est fides tua.* Ergo fides potest esse major in uno quam in alio.

Actus quidem fidei procedit et ex intellectu et ex voluntate. Potest ergo fides in aliquo dici major uno modo ex parte intellectus, propter majorem certitudinem et firmitatem ; alio modo ex parte voluntatis propter majorem promptitudinem seu devotionem vel confidentiam. De ratione fidei est ut veritas prima omnibus præferatur, sed tamen eorum qui eam omnibus præferunt, quidam certius et devotius se ei subjiciunt quam alii. (2, 2, q. V, a. IV).

21 Augusti

De fidei bonis et necessitate.

Fides facit quatuor bona.

1° Per fidem anima conjungitur Deo ; nam per fidem anima facit quoddam matrimonium cum Deo. *Sponsabo te in fide,* Oseæ, 2, 20. Et inde

est quod quando homo baptizatur, primo confitetur fidem, cum dicitur ei : Credis in Deum ? quia baptismus est primum sacramentum fidei. Et ideo dicit Dominus : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Baptismus enim sine fide non prodest. Et ideo sciendum quod nullus est acceptus Deo sine fide. Et dicit Augustinus super illud Rom., XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide peccatum est* : Ubi non est æternæ et incommutabilis veritatis agnitio, falsa est virtus etiam in optimis moribus.

2° Per fidem inchoatur in nobis vita æterna : nam vita æterna nihil aliud est quam cognoscere Deum. Unde dicit Dominus : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Hæc autem cognitio Dei incipit hic per fidem in nobis, sed perficietur in vita æterna in qua cognoscemus eum sicuti est. Et ideo dicitur Hebr., XI, 1 : *Fides est substantia sperandarum rerum.* Nullus ergo potest pervenire ad beatitudinem, quæ est vera cognitio Dei, nisi per fidem hic primo cognoscat Deum.

3° Fides dirigit vitam præsentem. Nam ad hoc quod homo bene vivat, oportet quod sciat necessaria ad bene vivendum. Fides autem docet hæc omnia. Docet enim quod est unus Deus, qui est remunerator bonorum et punitor malorum ; et quod est alia vita, et hujusmodi quibus satis alli-

cimur ad bonum, et vitamus malum. Hebr., x, 38 : *Justus meus ex fide vivit.* Et hoc patet, quia nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam æternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem. Et ideo dicitur Isa., xi, 9 : *Repleta est terra scientia Domini.*

4° Fides est qua vincimus tentationes. Hebr., xi : *Sancti per fidem vicerunt regna.* Et hoc patet, quia omnis tentatio vel est a diabolo, vel a mundo, vel a carne. Diabolus tentat ut non obedias Deo, nec subjiciaris ei. Et hoc per fidem removetur : nam per fidem cognoscimus quod ipse est Dominus omnium, et ideo sibi est obediendum. *Adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Mundus autem tentat vel alliciendo prosperis, vel terrendo adversis. Sed hæc vincimus per fidem, quæ facit nos credere aliam vitam meliorem ista, quia docet nos credere alia majora bona et mala, et ideo prospera mundi hujus despicimus, et non formidamus adversa. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* Caro vero tentat inducendo nos ad delectationes vitæ præsentis momentaneas et caducas. Sed fides ostendit nobis quod per has, si eis indebite adhæremus, æternas delectationes amittimus. (*In Symb.*).

22 Augusti

De fidei effectibus.

I. — Timor est effectus fidei.

Per fidem enim fit in nobis quædam apprehensio de quibusdam malis pœnalibus, quæ secundum divinum judicium inferuntur; et per hunc modum fides est causa timoris quo quis timet a Deo puniri, qui timor est servilis.

Est etiam causa timoris filialis, quo quis timet separari a Deo, vel quo quis refugit se Deo comparare, reverendo ipsum, in quantum per fidem hanc existimationem habemus de Deo, quod sit quoddam immensum et altissimum bonum, a quo separari est pessimum, et cui velle æquari est malum.

Sed primi timoris, scilicet servilis, est causa fides informis, et secundi timoris, scilicet filialis, causa est fides formata, quæ per charitatem facit hominem Deo adhærere et ei subjici.

Et licet dicatur Eccli. 11, 8 : *Qui timetis Deum, credite illi*, timor Dei non potest universaliter præcedere fidem, quia si omnino ejus ignorantiam

haberemus quantum ad præmia vel pœnas de quibus per fidem instruimur, nullo modo eum timeremus. Sed supposita fide de aliquibus articulis fidei, puta de excellentia divina, sequitur timor reverentiæ, ex quo sequitur ulterius ut homo intellectum suum Deo subjiciat ad credendum omnia quæ sunt promissa a Deo.

II. — Purificatio cordis est effectus fidei : *fide purificans corda eorum.* Act. 15, 9.

Impuritas uniuscujusque rei consistit in hoc quod rebus vilioribus immiscetur ; non enim dicitur argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi vel stanni. Manifestum est autem quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus et corporalibus creaturis, et ideo impura redditur ex hoc quod temporalibus se subjicit per amorem.

A qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id quod est supra se, scilicet in Deum, in quo quidem motu primum principium est fides : *accedentem* enim *ad Deum oportet credere.* Et ideo primum principium purificationis cordis est fides qua purificatur impuritas erroris ; quæ si perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat.

(2, 2, q. VII, a. I et II.)

23 Augusti

De spe.

I. — Objectum proprium spei est beatitudo æterna.

Spes attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causæ proportionatum. Et ideo bonum quod proprie et principaliter a Deo sperare debemus est bonum infinitum quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis; nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid ab eo sperandum est quam sit ipse, cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat quam ejus essentia.

II. — Spes est virtus theologica distincta ab aliis virtutibus theologicis. Virtus aliqua dicitur esse theologica ex hoc quod habet Deum pro objecto cui inhæret. Potest autem aliquis alicui inhærere dupliciter, uno modo propter seipsum, alio modo

in quantum ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris.

Spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo adhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem ; credimus enim ea vera esse quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.

III. — In via generationis spes est prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc quod timens ab ipso puniri cessat a peccato, ita etiam spes introducit charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum et servandum præcepta ejus. Sed secundum ordinem perfectionis charitas prior est naturaliter ; et ideo adveniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus. Et hoc modo dicit Ambrosius quod spes est ex charitate.

IV. — Spes certitudinem habet. Spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis, sicut Magis-

ter dicit. Quod potest accipi ex hoc quod dicitur II Tim., 1, 12 : *Scio cui credidi et certus sum quia potens est depositum meum servare.*

In hac quidem vita scire per certitudinem non possumus quod gratiam habeamus. Sed spes non innititur principaliter gratiæ jam habitæ, sed divinæ omnipotentiæ et misericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest ut sic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia autem Dei et misericordia ejus certus est quicumque fidem habet. Quod vero aliqui habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, hoc contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu divinæ potentiæ vel misericordiæ, cui spes innititur. Unde hoc non præjudicat certitudini spei.

(2, 2, q. XVII, a. II, VI, VIII, et q. XVIII, a. IV.)

24 Augusti

De excellentia charitatis.

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas. I Cor., 13, 13.

I. — Charitas maxima est inter virtutes theologicas.

Magnitudo virtutis secundum suam speciem consideratur ex objecto. Cum autem tres virtutes theologicæ respiciant Deum sicut proprium objectum, non potest una earum dici major altera ex hoc quod sit circa majus objectum, sed ex eo quod una se habeat propinquius ad objectum quam alia.

Et hoc modo charitas est major aliis ; nam aliæ important in sui ratione quamdam distantiam ab objecto ; est enim fides de non visis, spes autem de non habitis ; sed amor charitatis est de eo quod jam habetur. Est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur I Joan., 4, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* (1, 2, q. LXVI, a. VI.)

II. — Charitas est forma, et radix omnium virtutum. *In charitate radicati et fundati.*

In moralibus id quod dat actui ordinem ad finem, dat ei et formam. Manifestum est autem quod per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem. Ultimum enim et principale bonum hominis est Dei fruitio, secundum illud Ps. 72, 27 : *Mihi adhærere Deo bonum est*, et ad hoc ordinatur homo per charitatem : et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum. Et pro tanto dicitur

esse forma virtutum ; nam et ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos.

Charitas comparatur fundamento et radici in quantum ex ea sustentantur et nutriuntur omnes aliæ virtutes. Dicitur autem finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum. Et quia mater est quæ in se concipit ex alio, ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum, quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum imperando ipsos. (2, 2, q. XXIII, a. VIII.)

III. — Charitas causatur in nobis ex infusione.

Charitas est amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicationem beatitudinis æternæ. Hæc autem communicatio non est secundum dona naturalia, sed secundum dona gratuita, quia ut dicitur Rom., 6, 23 : *Gratia Dei vita æterna*. Unde et ipsa charitas facultatem naturæ excedit. Quod autem excedit naturæ facultatem, non potest esse neque naturale, neque per potentias naturales acquisitum, quia effectus naturalis non transcendit suam causam. Unde charitas non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales acquiri, sed per infusionem Spiritus sancti, qui est amor Patris et Filii, cujus participatio in nobis est ipsa charitas creata.

Deus quidem in se est maxime diligibilis in quantum est objectum beatitudinis. Sed hoc modo

non est maxime diligibilis a nobis, propter inclinationem affectus nostri ad visibilia bona. Unde patet quod ad Deum maxime diligendum hoc modo necesse est quod nostris cordibus charitas infundatur. (2, 2, q. XXIV, a. II.)

25 Augusti

De timore Domini.

I. — *Initium sapientiæ timor Domini.* Ps. 110, 10.

Initium sapientiæ potest aliquid dici dupliciter : uno modo quia est initium ipsius sapientiæ quantum ad ejus essentiam ; alio modo quantum ad ejus effectum.

Cum autem sapientia sit cognitio divinorum, aliter consideratur a nobis, et aliter a philosophis : quia enim vita nostra ad divinam fruitionem ordinatur et dirigitur secundum quamdam participationem divinæ naturæ quæ est per gratiam, sapientia secundum nos non solum consideratur ut est cognoscitiva Dei, sicut apud philosophos, sed etiam ut est directiva humanæ vitæ, quæ non so-

lum dirigitur secundum rationes humanas, sed etiam secundum rationes divinas.

Sic ergo initium sapientiæ secundum ejus essentiam sunt prima principia sapientiæ quæ sunt articuli fidei, et secundum hoc fides dicitur sapientiæ initium.

Sed quantum ad effectum, initium sapientiæ est unde sapientia incipit operari, et hoc modo timor est initium sapientiæ : aliter tamen timor servilis et aliter timor filialis. Timor enim servilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit a peccato, et habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundum illud Eccli., 1, 27 : *Timor Domini expellit peccatum*. Timor autem castus vel filialis est initium sapientiæ, sicut primus sapientiæ effectus. Cum enim ad sapientiam pertineat quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur et se ei subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur.

Quod autem dicitur Job., 28, 28 : *Timor Dei ipsa est sapientia*, hoc est quia timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborem. Unde dicitur Eccli. 1, 25 : *Radix sapientiæ est timere Dominum ; rami enim illius longævi*. Et ideo sicut radix virtute dicitur esse tota arbor, ita timor Dei dicitur esse sapientia.

II. — Timori proprie respondet paupertas spiritus. Cum enim ad timorem filialem pertineat Deo reverentiam exhibere, et ei subjectum esse, id quod ex hujusmodi subjectione consequitur pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem quod aliquis Deo se subjicit, desinit quærere in seipso vel in aliquo alio magnificari, nisi in Deo. Hoc enim repugnaret perfectæ subjectioni ad Deum. Et ideo ex hoc quod aliquis perfecte timeat Deum, consequens est quod non quærat magnificari in seipso per superbiam, neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, scilicet honoribus et divitiis. Quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus, secundum quod paupertas spiritus intelligi potest vel exinanitio inflati et superbi spiritus, vel etiam abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est propria voluntate per instinctum Spiritus sancti.

(2, 2, q. XIX, a. VII et XII.)

26 Augusti

De virtutibus cardinalibus.

I. — Quatuor sunt : prudentia, justitia, fortitudo et temperantia.

Prædictæ quatuor virtutes a quibusdam accipiuntur, prout significant quasdam generales conditiones humani animi quæ inveniuntur in omnibus virtutibus, ita scilicet quod prudentia nihil sit aliud quam quædam rectitudo discretionis in quibuscumque actibus vel materiis; justitia vero sit quædam rectitudo animi, per quam homo operatur quod debet in quacumque materia; temperantia vero, quædam dispositio animi quæ modum quibuscumque passionibus vel operationibus imponit, ne ultra debitum efferantur; fortitudo vero sit quædam dispositio animæ per quam firmetur in eo quod est secundum rationem contra quoscumqne impetus passionum vel operationum labores.

Alii vero et melius accipiunt has quatuor virtutes secundum quod determinantur ad materias speciales, unaquæque illarum ad unam materiam in qua principaliter laudatur illa generalis conditio a qua nomen virtutis accipitur. Et secundum hoc, prædictæ virtutes sunt diversi habitus secundum diversitatem objectorum distincti.

II. — Harum autem virtutum duplex gradus distinguitur secundum diversitatem motus et termini, ita scilicet, quod quædam sunt virtutes transcendentium et in divinam similitudinem tendentium, et hæ vocantur virtutes *purgatoriæ*, secundum quod homo civilibus utens ad quietem contemplationis anhelat. Ita quod prudentia om-

nia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ cogitationem in divina sola dirigat; temperantia vero relinquat in quantum natura patitur quæ corporis usus requirit; fortitudinis autem est ut anima non terreatur propter recessum a corpore et accessum ad superna; justitia vero est ut tota anima consentiat ad hujusmodi propositi viam.

Quædam vero sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam *purgati animi*, ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates non jam refrenet, sed nesciat; fortitudo passiones non jam vincat, sed ignoret; justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur eam imitando; quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.

(1. 2, q. LXI, a. IV et V.)

27 Augusti

De prudentia.

I. — *Sapientia est viro prudentia.* Prov. 10, 23.

Sapiens est in aliquo genere qui considerat

causam altissimam in illo genere, In genere autem humanorum actuum causa altissima est finis communis toti vitæ humanæ, et hunc finem intendit prudentia. Unde sicut ille qui ratiocinatur bene ad aliquem finem particularem, puta ad victoriam, dicitur esse prudens non simpliciter, sed in hoc genere, scilicet in rebus bellicis, ita ille qui bene ratiocinatur ad totum bene vivere dicitur prudens simpliciter. Unde manifestum est quod prudentia est sapientia in rebus humanis.

II. — Non potest esse in peccatoribus. Prudentia enim dicitur tripliciter. Est quædam prudentia falsa vel per similitudinem dicta. Cum prudens sit qui bene disponit ea quæ sunt agenda propter aliquem bonum finem, ille qui propter malum finem aliqua disponit congruentia illi fini, habet falsam prudentiam, in quantum illud quod accipit pro fine non est vere bonum, sed secundum similitudinem, sicut dicitur aliquis bonus latro; hoc enim modo potest secundum similitudinem dici prudens latro, qui convenienter vias adinvenit ad latrocinandum. Et hujusmodi est prudentia de qua Apostolus dicit Rom. VIII, 9 : *Prudentia carnis mors est*, quæ scilicet finem ultimum constituit in delectatione carnis.

Secunda autem prudentia est quidem vera, quia adinvenit vias accommodatas ad finem vere

bonum, sed est imperfecta, duplici ratione ; uno modo quia illud bonum quod accipit pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicujus specialis negotii ; puta cum aliquis adinvenit vias accommodatas ad negotiandum vel ad navigandum dicitur prudens negotiator vel nauta ; alio modo quia deficit in principali actu prudentiæ, puta cum aliquis recte consiliatur et bene judicat etiam de his quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit.

Tertia autem prudentia est et vera et perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, judicat et præcipit. Et hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest ; prima autem prudentia est in solis peccatoribus ; prudentia vero imperfecta est communis bonis et malis, maxime illa quæ est imperfecta propter finem particularem. Nam illa quæ est imperfecta propter defectum principalis actus, etiam non est nisi in malis.

(2, 2, q. XLVII, a. II et XIII.)

III. — Tullius recte dividit prudentiam in memoriam præteritorum, et intelligentiam præsentium et providentiam futurorum. Quia prudentia circa particularia operabilia est, oportet ex eodem genere principia accipere, ut ex similitudine aliorum factorum, de his quæ facere oportet, recte ratiocinetur prudens. Et ideo indiget experientia et tempore, ut ex his quæ fuerunt, quæ memoria

tenet, et ex his quæ intelligentia respicit, de futuris provideat. Memoria enim est per quam animus repetit illa quæ fuerunt; intelligentia per quam perspicit ea quæ sunt; providentia per quam aliquid futurum videtur antequam factum sit.

(3, Dist. XXIII, q. III, a. 1.)

28 Augusti

De justitia.

I. — Ad justitiam pertinere videtur ut quis debitum reddat.

Unde omnes virtutes morales quæ sunt circa operationes conveniunt in quadam generali ratione justitiæ, habent enim aliquo modo rationem debiti. Sed debitum non est unius rationis in omnibus : aliter enim debetur aliquid æquali, aliter superiori, aliter minori, et aliter ex pacto, vel ex promisso vel ex beneficio suscepto. Et secundum has diversas rationes debiti sumuntur diversæ virtutes, puta religio per quam redditur debitum Deo; pietas, per quam redditur debitum parentibus

vel patriæ ; gratia, per quam redditur debitum benefactoribus, et sic de aliis. Et hæc est justitia legalis quæ dicitur esse virtus generalis, in quantum ordinat omnes virtutes in bonum commune.

Sed præter justitiam quæ intendit bonum commune, est alia justitia proprie dicta quæ ordinatur ad bonum privatum alicujus, ut ei reddatur quod suum est.

II. — Justitia præeminet inter omnes virtutes morales.

Si loquamur de justitia legali, manifestum est quod ipsa est præclarior inter omnes virtutes morales, in quantum bonum commune præeminet bono singulari unius personæ, et secundum hoc Philosophus dicit quod præclarissima virtutum videtur esse justitia.

Sed si loquimur de justitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales. Virtus enim dicitur major, secundum quod in ea majus bonum rationis relucet, et secundum hoc præcellit justitia, tanquam propinquior rationi. Quod patet et ex subjecto et ex objecto. Ex subjecto quidem, quia est in nobiliori parte animæ, id est in appetitu rationali, scilicet in voluntate, aliis virtutibus moralibus existentibus in appetitu sensitivo ad quem pertinent passiones, quæ sunt materia aliarum virtutum moralium ; secundum autem objectum sive materiam, quia est circa operationes quibus homo ordinatur non solum in sei-

pso, sed etiam ad alterum, et sic justitia quodammodo est bonum alterius. Et propter hoc dicit philosophus : Necesse est maximas virtutes esse eas quæ sunt aliis utilissimæ, siquidem est virtus potentia benefactiva ; propter hoc et fortes et justos maxime honorant.

(2, 2, q. LVIII, a. XII, et 1, 2, q. LXVI, a. IV.)

III. — Præcepta Decalogi sunt præcepta justitiæ.

Præcepta Decalogi sunt prima principia legis, et quibus statim ratio naturalis assentit, sicut manifestissimis principiis. Manifestissime autem ratio debiti quæ requiritur ad præceptum, apparet in justitia quæ est ad alterum ; quia in his quæ sunt ad seipsum videtur primo aspectu quod homo sit sui dominus et quod liceat ei facere quodlibet ; sed in his quæ sunt ad alterum, manifeste apparet quod homo est alteri obligatus ad reddendum ei quod debet.

Et ideo præcepta Decalogi oportuit ad justitiam pertinere. Unde tria prima præcepta sunt de actibus religionis quæ est potissima pars justitiæ ; quartum autem præceptum est de actibus pietatis, quæ est pars justitiæ secunda ; alia vero sex dantur de actibus justitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.

(2, 2, q. CXXII, a. I.)

29 Augusti

De fortitudine.

I. — Nomen fortitudinis dupliciter accipi potest. Uno modo secundum quod absolute importat quamdam animi firmitatem, et secundum hoc est generalis virtus, vel potius conditio cujuslibet virtutis, quia ad virtutem requiritur firmiter et immobiliter operari.

Alio modo potest accipi fortitudo, secundum quod importat firmitatem tantum in sustinendis et repellendis his in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in aliquibus periculis gravibus. Unde Tullius dicit quod fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Et sic fortitudo est specialis virtus.

II. — Fortitudo est præcipue circa pericula mortis.

Ad virtutem enim fortitudinis pertinet ut voluntatem hominis tueatur ne retrahatur a bono rationis propter timorem mali corporalis. Oportet autem bonum rationis firmiter tenere contra quod-

cumque malum, quia nullum bonum corporale æquivalet bono rationis. Et ideo oportet quod fortitudo animi dicatur quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala, quia qui stat firmus contra majora, consequens est quod stet firmus contra minora, sed non convertitur. Et hoc etiam ad rationem virtutis pertinet ut respiciat ultimum. Maxime autem terribile inter omnia corporalia mala est mors, quæ tollit omnia corporalia bona.

Et ideo virtus fortitudinis est circa timores periculorum mortis.

Fortitudo igitur in hoc consistit quod a bono virtutis homo non recedat propter pericula mortis quæ videntur ei imminere ex hoc quod prosequatur aliquod bonum : puta cum aliquis judex vel etiam persona privata non recedit a justo judicio timore gladii imminentis, vel cujuscumque periculi, etiamsi sit mortiferum ; aut cum cujuscumque mortis homo periculum subit propter virtutem : puta cum aliquis non refugit amico infirmanti obsequi propter timorem mortiferæ infectionis, vel cum non refugit itinerari ad aliquod pium negotium prosequendum propter timorem naufragii vel latronum. Quia autem martyres sustinent personales impugnationes propter summum bonum, quod est Deus, ideo eorum fortitudo præcipue commendatur. (2, 2, q. CXXIII, a. II, IV et V.)

Quamvis vero fortitudo sit contra molestias

mortis principaliter, tamen etiam secundario est contra omnes alias molestias, quia in omnibus fortis bene se habet.

(3, Dist. 33, q. II, a. III.)

III. — Principalior actus fortitudinis non est aggredi difficilia, sed potius sustinere, id est immobiliter sistere in periculis, sine perturbatione immoderati timoris. Sustinere enim est difficilius quam aggredi : 1° quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente ; 2° quia ille qui sustinet jam sentit pericula imminentia, ille autem qui aggreditur, habet ea ut futura ; 3° quia sustinere importat diuturnitatem temporis.

(2, 2, q. CXXIII, a. VI.)

30 Augusti

De temperantia.

I. — Temperantia accipi potest secundum communitatem suæ significationis, et sic non est virtus specialis, sed generalis, quia nomen temperantiæ significat quamdam temperiem, id est moderatio-

nem quam ratio ponit in humanis operationibus et passionibus ; quod est commune in omni virtute morali. Differt tamen ratione temperantia a fortitudine, etiam secundum quod utraque sumitur ut virtus communis. Nam temperantia retrahit ab his quibus homo allicitur ad recedendum a regula rationis et legis divinæ ; fortitudo autem impellit ad ea sustinenda vel aggredienda, propter quæ homo refugit bonum rationis.

Si vero consideretur temperantia secundum quod refrenat appetitum ab his quæ maxime alliciunt hominem, sic est specialis virtus, utpote habens specialem materiam, sicut et fortitudo. Et proprie est circa concupiscentias et delectationes tactus principaliter, secundario autem circa alias concupiscentias. Sicut enim fortitudo est circa timores et audacias respectu maximorum malorum, quæ sunt pericula mortis, ita oportet quod temperantia sit circa concupiscentias maximarum delectationum. Hujusmodi autem delectationes consequuntur sensum tactus.(2, 2, q. CXLI, a. II et IV).

II. — Regula temperantiæ sumenda est secundum necessitatem præsentis vitæ.

Bonum virtutis moralis præcipue consistit in ordine rationis. Præcipuus autem ordo rationis consistit in hoc quod aliqua in finem ordinat, et in hoc ordine maxime consistit bonum rationis. Nam bonum habet rationem finis, et ipse finis est regula eorum quæ sunt ad finem. Omnia vero delec-

tabilia quæ in usum hominis veniunt ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem sicut ad finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitæ sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit. Unde dicit Augustinus : Habet vir temperans in rebus hujus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut earum nil diligat, nil per se appetendum putet ; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. (2, 2, q. CXLI, a. VI).

III. — Quamvis pulchritudo conveniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiæ : 1° Secundum rationem communem temperantiæ, ad quam pertinet quædam moderata et conveniens proportio, in qua consistit ratio pulchritudinis ; 2° Quia ea a quibus refrenat temperantia sunt infima in homine convenientia ei secundum naturam bestialem, et ideo ex eis maxime natus est homo deturpari. Et per consequens pulchritudo maxime attribuitur temperantiæ, quæ præcipue turpitudinem hominis tollit, siquidem repellit vitia maxime opprobriosa. (2, 2, q. CXLI, a. II, 3^um^).

31 Augusti

De virtute religionis.

I. — Hominem ordinat ad Deum.

Sicut Isidorus dicit, religiosus a relectione appellatus est, quia retractat, et tanquam relegit ea quæ ad cultum divinum pertinent ; et sic religio videtur dicta a relegendo ea quæ sunt divini cultus, quia hujusmodi sunt frequenter in corde revolvenda secundum illud Prov., III, 6 : *In omnibus viis tuis cogita illum.*

Quamvis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod Deum religere debemus quem amiseramus negligentes ; vel potest intelligi religio a religando dicta. Unde Augustinus dicit : Religet nos religio uni omnipotenti Deo.

Sive autem religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione ejus quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio ; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum

finem ; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus.

II. — Religio est virtus specialis.

Ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur religio est exhibere Deo debitum honorem et reverentiam. Honor vero debetur alicui ratione excellentiæ. Sed Deo competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum. Unde ei debetur specialis honor.

III. — Religio est virtus præferenda aliis virtutibus moralibus, quia magis de propinquo accedit ad Deum quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum.

IV. — Religio habet et actus interiores et actus exteriores. In Ps. 83, 3, dicitur : *Cor meum et caro mea exultáverunt in Deum vivum.* Sicut interiores actus pertinent ad cor, ita exteriores actus pertinent ad membra carnis.

Deo enim reverentiam et honorem exhibemus, non propter seipsum, quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjici-

tur ; et in hoc ejus perfectio consistit : quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, et aer per hoc quod illuminatur a sole.

Mens autem humana indiget, ad hoc quod conjungetur Deo sensibilium manuductione, quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes ; exteriores vero actus quasi secundarios et ad interiores actus ordinatos.

Hujusmodi igitur exteriora non exhibentur Deo, quasi his indigeat, sed tanquam signa quædam interiorum et spiritualium operum, quæ per se Deus acceptat. Unde Augustinus dicit : Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.

(2, 2, q. LXXXI, a. I, IV, VI, VII.)

1 Septembris

De duobus interioribus religionis actibus, devotione et oratione.

I. — De devotione.

Devotio dicitur a devovendo. Unde devoti di-

cuntur qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Unde devotio nihil aliud esse videtur quam voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Ideo Exod. 35, 21, dicitur quod *multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino.*

Devotio vero est actus religionis. Ad eamdem enim virtutem pertinet velle facere aliquid, et promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia utriusque actus est idem objectum. Manifestum est autem quod operari ea quæ pertinent ad divinum cultum seu famulatum, pertinet proprie ad religionem. Unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad hujusmodi exequenda, quod est esse devotum.

Devotio autem non est actus charitatis, quia ad charitatem pertinet quidem immediate quod homo tradat seipsum Deo, adhærendo ei per quamdam spiritus unionem ; sed quod homo tradat seipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad charitatem quæ est religionis principium.

Devotio quidem videtur præcedere charitatem, quia charitas in scripturis significatur per ignem, devotio vero per pinguedinem quæ est ignis materia. Non est tamen actus charitatis. Pinguedo enim corporalis et generatur per calorem naturalem digerentem, et ipse naturalis calor habet pinguedinem quasi ejus nutrimentum. Et similiter cha-

ritas et devotionem causat, in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico, et etiam per devotionem charitas nutritur : sicut et quælibet amicitia conservatur et augetur per amicabilium operum exercitium et meditationem.

(2, 2, q. LXXXII, a. 1 et II.)

II. — De oratione.

Oratio est actus religionis, Ps. 140, 2, *Dirigatur oratio mea sicut incensum.*

Ad religionem proprie pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere ; et ideo omnia illa per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem vero homo Deo reverentiam exhibet, in quantum ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie actus religionis.

Si dicatur quod ad religionem pertinet ut quis divinæ naturæ cultum cæremoniamque afferat, quod vero oratio non videtur aliquid Deo afferre, sed magis aliquid obtinendum a Deo petere, respondendum est quod orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reverentiam subjicit, et quodammodo præsentat. Et ideo sicut mens humana præeminet exterioribus vel corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei servitium applicantur, ita etiam oratio præeminet aliis actibus religionis.

...Voluntas movet alias potentias animæ in suum finem, et ideo religio, quæ est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reverentiam. Inter alias autem potentias animæ intellectus altior est et voluntati propinquior ; et ideo post devotionem, quæ pertinet ad ipsam voluntatem, oratio quæ pertinet ad partem intellectivam, est præcipua inter actus religionis, per quam religio intellectum hominis movet in Deum.

(2, 2, q. LXXXIII, a. III.)

2 Septembris

De devotionis causa et effectu.

I. — De causa devotionis. *In meditatione mea exardescet ignis.* Ps. 38, 4.

Causa devotionis extrinseca et principalis Deus est. Causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio seu contemplatio. Devotio enim est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est

objectum voluntatis. Unde et Augustinus dicit quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio.

Ad quod quidem inducit duplex consideratio :

Una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis et beneficiorum ipsius, secundum illud Ps. 72, 27 : *Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam.* Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa.

Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud Ps. 120, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi ; auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram.* Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur.

Equidem scientia et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet occasio est aliquando quod homo confidat de seipso et ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est quod hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt ; et in simplicibus et mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augetur.

II. — De devotionis effectu, scilicet lætitia.

Devotio, per se quidem et principaliter, spiritualem lætitiam mentis causat ; ex consequenti autem et per accidens causat tristitiam.

Devotio ex duplici consideratione procedit ; principaliter ex consideratione divinæ bonitatis, quia ista consideratio pertinet quasi ad terminum motus voluntatis tradentis se Deo, et ex ista consideratione per se quidem sequitur delectatio, secundum illud Ps. 76, 4 : *Memor fui Dei et delectatus sum.* Sed per accidens hæc consideratio tristitiam quamdam causat in his qui nondum plene Deo fruuntur secundum illud Ps. 41, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum ;* et postea sequitur : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.*

Secundario vero causatur devotio ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum a quo homo per motum voluntatis devotæ recedit, ut scilicet non in se existat, sed Deo se subdat. Hæc autem consideratio e converso se habet ad primam. Nam per se quidem nata est tristitiam causare, recogitando proprios defectus, per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem divinæ subventionis.

Et sic patet quod ad devotionem primo et per se consequitur delectatio ; secundario autem et per accidens tristitia quæ est secundum Deum.

(2, 2, q. LXXXII, a. III et IV.)

3 Septembris

De orandi modo.

I. — An oratio debeat esse vocalis. Ps. 141, 1 : *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

Oratio singularis, quæ offertur a singulari persona, non habet necessitatem quod sit vocalis. Adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione.

1° Ad excitandam interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum, quia per exteriora signa sive vocum sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem. Unde Augustinus dicit quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Et ideo in singulari oratione tantum est vocibus et hujusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si vero per hoc mens distrahatur vel qualitercumque impediatur, est a talibus

cessandum, quod præcipue contingit in his quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata. Unde Psalmista Ps. 26, 8, dicebat: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea ;* et de Anna legitur quod *loquebatur in corde suo.*

2° Adjungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti, ut homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore.

3 Adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione, secundum illud Ps. 15, 9 : *Lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea.*

II. — An oratio debeat esse attenta.

Necessarium aliquid dicitur, per quod melius pervenitur ad finem, et sic attentio absolute orationi necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis.

Primus communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri, et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam.

Secundus effectus orationis est impetrare, et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa. Illam enim orationem Deus non audit cui ille qui orat, non intendit.

Tertius autem effectus orationis est quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis, et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio. Unde dicitur, I Cor. 14, 14 : *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

Triplex vero est attentio, una qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret ; secunda qua attenditur ad sensum verborum ; tertia qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum et ad rem pro qua oratur ; quæ quidem est maxime necessaria, et hanc etiam possunt habere idiotæ ; et quandoque in tantum abundat hæc intentio qua mens fertur in Deum, ut etiam aliorum omnium mens obliviscatur.

(2, 2, q. LXXXIII, a. XII et XIII.)

4 Septembris

Sine intermissione orandum.

Oportet semper orare et non deficere. Luc., XVIII, 1.

Oratio considerari potest secundum seipsam et secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio; quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu, vel virtute; manet enim virtus hujus desiderii in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere. Et secundum hoc oratio debet esse continua. Unde Augustinus dicit: In ipsa fide, spe et charitate continuato desiderio semper oramus.

Sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari. Sed, sicut Augustinus dicit: ideo per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumcumque in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus.

Uniuscujusque autem rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis sanitati. Unde et conveniens est ut oratio duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita quod sine tædio durare non possit, non est ulterius oratio protendenda.

Unde Augustinus dicit: Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas et raptim quodammodo jaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti pluri-

mum necessaria est, per productiores moras evanesçat atque hebetetur intentio.

Aliquis igitur continue orat vel propter continuitatem desiderii, vel quia non intermittit temporibus statutis orare, vel propter effectum sive in ipso orante qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio, puta cum aliquis suis beneficiis provocat alium ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat et quiescit.

Equidem dicitur Matth., 6, 7 : *Orantes nolite multum loqui*. Sed ex hoc non sequitur orationem non debere esse diuturnam. Sicut dicit Augustinus : Non est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit, ut nobis præberet exemplum. Et postea subdit : Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis ; multum autem precari est ad eum quem precamur diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Plerumque autem hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu.

Prolixitas igitur orationis non consistit in hoc quod multa petantur, sed in hoc quod affectus continuetur ad unum desiderandum. Unde dici-

tur quod Dominus *prolixius orabat eumdem sermonem dicens.*

(2, 2, q. LXXXIII, a. XIV.)

5 Septembris

De sacrificiis Deo offerendis.

1° Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum.

Significat autem sacrificium quod offertur exterius interius spirituale sacrificium quo anima seipsam offert Deo. Ps. 50, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium sicut principio suæ creationis et sicut fini suæ beatificationis ; secundum autem veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum ; in solo etiam eo animæ nostræ beatitudo consistit. Et ideo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia.

2° Sacrificium quidem est quidam specialis ac-

tus laudem habens ex hoc quod in divinam reverentiam fit; propter quod ad determinatam virtutem pertinet, scilicet ad religionem. Contingit autem ea quæ secundum alias virtutes fiunt, in divinam reverentiam ordinari, puta cum aliquis eleemosynam facit de rebus propriis propter Deum vel cum aliquis proprium corpus alicui afflictioni subjicit propter divinam reverentiam; et secundum hoc etiam actus aliarum virtutum sacrificia dici possunt. Sunt tamen actus quidam qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam, et isti actus proprie sacrificia dicuntur et pertinent ad virtutem religionis.

3° Triplex est hominis bonum; bonum animæ quod Deo offertur interiori quodam sacrificio per devotionem et orationem et alios hujusmodi interiores actus, et hoc est principale sacrificium;

Bonum corporis quod Deo quodammodo offertur per martyrium et abstinentiam seu continentiam;

Bonum exteriorum rerum de quo sacrificium offertur Deo; directe quidem, quando immediate res nostras Deo offerimus; mediate autem, quando eas communicamus proximis propter Deum. (2, 2, q. LXXXV, a. II et III.)

Vel aliter dicendum quod offerre debemus Deo tria sacrificia. Sacrificium cordis in contritione; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Sacrifi-

cium oris in confessione et oratione : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Item : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum.* Medulla quæ est pinguedo et robur ossium est devotio quæ est pinguedo et virtus orationum. Sacrificium corporis in satisfactione : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.*

(In Apocalyps., I.)

6 Septembris

De necessitate humilitatis.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth., XVIII.

I. — Ostendit Dominus quomodo perveniendum est ad gloriam cœlestem, id est per viam humilitatis. *Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum.* Quis sit iste parvulus exponitur tripliciter : Chrysostomus credit fuisse vere parvulum, qui passionibus erat immunis. Aliter exponitur quod Christus se parvulum reputans statuit se in medio dicens : *Nisi efficiamini*

sicut parvulus iste. Aliter per parvulum intelligitur Spiritus sanctus qui facit parvulos, quia est spiritus humilitatis.

Et ideo dicebat : *Nisi efficiamini sicut parvuli*, non ætate, sed simplicitate. I Cor., 14 : *Nolite parvuli effici sensibus, sed malitia parvuli estote.*

Multæ sunt conditiones parvulorum. Non magna appetunt. Sunt immunes a concupiscentia. Matth., 5, 28 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et talem concupiscentiam non habent pueri. Item non recordantur inimicitiæ. Unde *nisi efficiamini sicut parvuli*, scilicet imitatores proprietatum parvulorum, *non intrabitis in regnum cœlorum.* Nullus enim intrabit nisi humilis. Prov., 29, 23 : *Humiles spiritu suscipiet gloria.* Et *qui susceperit unum parvulum talem*, id est quicumque est imitator puerilis innocentiæ, hic major est ; quia quanto humilior, tanto altior : quia *qui se humiliat exaltabitur.* Luc., 18, 14.

II. — Sed videtur quod hoc non sit verum ; quia perfectio est in caritate. Ergo ubi major caritas, ibi major perfectio.

Dicendum quod caritatem necessario comitatur humilitas. Et potestis hoc videre si consideretis quis sit humilis. Sicut enim in superbia sunt duo, affectus inordinatus et æstimatio inordinata de se, ita e contrario est in humilitate, quia propriam

excellentiam non curat ; item non reputat se dignum. Istud de necessitate sequitur ad caritatem. Omnis homo capit excellentiam quam diligit. Ergo quanto magis habet homo de humilitate, tanto magis diligit Deum, et magis excellentiam sui contemnit, et tanto minus sibi attribuit. Sic quanto homo plus habet de caritate, habet etiam magis de humilitate.

(*In Matth.*, XVIII.)

7 Septembris

Homo debet se omnibus per humilitatem subjicere.

In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Phil., II, 3.

In homine duo possunt considerari, id quod est Dei, et id quod est hominis. Hominis autem est quidquid pertinet ad defectum ; sed Dei est quidquid pertinet ad salutem et perfectionem, secundum illud Oseæ, XIII, 9. *Perditio tua Israel, ex te est : ex me tantum auxilium tuum.*

Humilitas autem proprie respicit reverentiam,

qua homo Deo subjicitur ; et ideo quilibet homo secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere quantum ad id quod est Dei in ipso ; non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est Dei in seipso subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero. Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere secundum illud I ad Cor., II, 12 : *Ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Et ideo, absque præjudicio humilitatis, possunt dona quæ ipsi acceperunt præferre donis Dei quæ aliis apparent collata ; sicut Apostolus ad Eph., III, 5, dicit : *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus.*

Similiter etiam non hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est suum in seipso subjiciat ei quod est hominis in proximo. Alioquin oporteret ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio ; cum tamen Apostolus absque præjudicio humilitatis dicat, Gal., II, 15 : *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.*

Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest ei subjicere per humilitatem.

Non debemus solum Deum revereri in seipso, sed etiam id quod est ejus debemus revereri in quolibet, non tamen eo modo reverentiæ quo reveremur Deum. Et ideo per humilitatem debemus nos subjicere omnibus proximis propter Deum,

secundum illud I Petr., II, 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum* : latriam tamen soli Deo debemus exhibere.

Humilitas, sicut et cæteræ virtutes, præcipue interius in anima consistit. Et ideo potest homo secundum interiorem actum animæ alteri se subjicere, sine hoc quod occasionem det alicujus quod pertineat ad detrimentum suæ salutis. Et hoc est quod Augustinus dicit in Regula : Timore coram Deo prælatus substratus sit pedibus vestris. Sed in exterioribus humilitatis actibus, sicut et in actibus cæterarum virtutum, est debita moderatio adhibenda, ne possint vergere in detrimentum alterius. Et ideo Augustinus dicebat : Ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. (2, 2, q. CLXI, a. III).

8 Septembris

In festo nativitatis B. V. M.

Benedicta tu in mulieribus.

I. — Benedicta a Deo Patre quia in eodem Filio secum communicas, a Filio quia dignum habita-

culum ei præparas ; a Spiritu sancto, cujus operatione salvatorem mundi generas.

II. — Ab Angelis, quia eorum vitam in terra inchoas, eorum ruinam reparas, eorum te allocutionibus humilias.

III. — A peccatoribus, quia eos de angustia liberas, in periculis adjuvas, et de peccatis veniam impetras.

IV. — A justis, quia exaudis in precibus, liberas in tentationibus, augmentas gratiam in virtutibus.

V. — A mulieribus, quia eas ab inimicis liberas. Per peccatum enim a diabolo tenebantur, a Deo aspernabantur ; sed Beata virgo ab inimicis liberavit, quia Christus filius ejus diabolum destruxit.

Quoad virum, excusas. Si dicit vir : propter te damnor, mulier potest respondere : per me salvaris.

Quoad Deum, honoras. Honoravit enim, quia idem est Filius Dei et filius mulieris. Gal., III. *Misit Deus filium suum natum ex muliere.* Propter hæc tria dicitur de ea, Judith., XV : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi.*

VI. — Benedicta tu ab omnibus creaturis, quia

earum creatorem lactas, eas a coinquinatione liberas, id est peccata mundas, eas in statum pristinum renovas. Filius enim quem genuisti creaturas omnes creavit, eas emundavit, ipsas renovavit.

Benedicat te igitur, Virgo beata, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Benedicant te Angeli, peccatores, justi, mulieres et omnes creaturæ.

(*Serm.* XXXIII).

9 Septembris

De humilitate sequenda, exemplo Christi.

Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.

I. — *Hoc sentite*, id est experimento tenete quod fuit in *Christo Jesu*. Notandum quod quinque modis debemus hoc sentire, scilicet quinque sensibus. 1° Videre ejus claritatem, ut ei conformemur illuminati. 2° Audire ejus sapientiam, ut beatificemur. III Reg., 10 : *Beati viri tui et beati servi tui, hi qui stant coram te et audiunt sapientiam tuam.* 3° Odorare gratias suæ mansuetudinis, ut ad

eum curramus. Cant., 1 : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* 4° Gustare dulcedinem ejus pietatis, ut in Deo semper dilecti simus. Ps. 33 : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* 5° Tangere ejus virtutem, ut salvemur. Matth., 9 : *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Et sic sentite quasi tangendo per operis imitationem.

II. — Exemplum humilitatis Christi in Incarnatione. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Semetipsum exinanivit.* Sed quia erat plenus divinitate, numquid ergo evacuavit se divinitate? Non, quia quod erat permansit, et quod non erat assumpsit. Sicut enim descendit de cœlo, non quod desineret esse in cœlo, sed quia incepit esse novo modo in terris, sic etiam se exinanivit, non deponendo divinam naturam, sed assumendo naturam humanam.

Pulchre autem dicit : *exinanivit.* Inane enim opponitur pleno. Natura divina satis plena est, quia ibi est omnis bonitatis perfectio. Ex., 33 : *Ostendam tibi omne bonum.* Natura autem humana et anima non est plena, sed in potentia ad plenitudinem, quia est facta quasi tabula rasa. Est ergo natura humana inanis. Dicit ergo *exinanivit,* quia naturam humanam assumpsit.

Formam servi accipiens. Homo enim ex sua

creatione est servus Dei, et natura humana est forma servi.

III. — Exemplum humilitatis Christi in Passione. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Christus est homo, sed valde magnus, quia idem est Deus et homo, et tamen humiliavit se. Eccl., 3 : *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Modus autem humiliationis et signum humilitatis est obedientia. Proprium superborum est sequi propriam voluntatem : quia superbus quærit altitudinem, ad rem autem altam pertinet quod non reguletur ab alio, sed ipsa alia regulet, et ideo obedientia contrariatur superbiæ.

Unde volens ostendere perfectionem humilitatis et passionis Christi, dicit quod factus est obediens, quia si fuisset passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis, quia obedientia dat meritum passionibus nostris.

Sed quomodo factus est obediens? Non voluntate divina, quia ipsa est regula, sed voluntate humana, quæ regulata est in omnibus secundum voluntatem paternam.

Quod autem magna et commendabilis sit hæc obedientia, patet : quia tunc est obedientia magna, quando sequitur imperium alterius contra motum proprium. Motus autem voluntatis humanæ ad duo tendit, ad vitam et ad honorem. Sed Christus non recusavit mortem. Item non fugit ignomi-

niam. Unde dicit : *Mortem autem crucis*, quæ es ignominiosissima. Sap., 2 : *Morte turpissima condemnemus eum.*

(*In Phil.*, 11).

10 Septembris

De patientia.

I. — Patientia est necessaria.

Virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conservant bonum rationis contra impetus passionum. Inter alias autem passiones tristitia efficax est ad impediendum bonum rationis secundum illud II Cor., 7, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur ;* et Eccli. 30, 25 : *Multos occidit tristitia, et non est utilitas in ea.* Unde necesse est habere aliquam virtutem per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat. Hoc autem facit patientia. Unde Augustinus dicit quod patientia hominis est qua mala æquo animo toleramus, id est sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.

II. — Patientia non est tamen potissima virtutum.

Tanto principalior est virtus et potior, quanto magis et directius ordinat hominem in bonum. Directius autem ad bonum ordinant hominem virtutes quæ sunt constitutivæ boni, quam illæ quæ sunt impeditivæ eorum quæ abducunt a bono; et sicut inter eas quæ sunt constitutivæ boni, tanto aliqua potior est quanto in majori bono statuit hominem, sicut fides, spes et charitas quam prudentia et justitia; ita etiam inter illas quæ sunt impeditivæ retrahentium a bono, tanto aliqua est potior, quanto id quod ab ea impeditur magis a bono retrahit.

Plus autem a bono retrahunt pericula mortis, circa quæ est fortitudo, vel delectationes tactus circa quas est temperantia, quam quævis adversa circa quæ est patientia. Et ideo patientia non est potissima virtutum, sed deficit non solum a virtutibus theologicis, et prudentia et justitia quæ directe statuunt hominem in bono, sed etiam a fortitudine et temperantia quæ retrahunt a majoribus impedimentis.

(2, 2, q. CXXXVI, a. I et II.)

III. — Quo sensu *patientia habet opus perfectum*.

Patientia dicitur habere *opus perfectum* in tolerantia malorum, in quibus non solum excludit injustam vindictam quam etiam excludit jus-

titia, neque solum odium, quod facit charitas, neque solum iram, quod facit mansuetudo, sed etiam excludit tristitiam inordinatam, quæ est radix omnium prædictorum. Et ideo in hoc est perfectior et major, quia in hac materia extirpat radicem, non autem est simpliciter perfectior omnibus aliis virtutibus, quia fortitudo non solum sustinet molestias absque perturbatione, quod est patientiæ, sed etiam ingerit se eis cum opus fuerit; unde quicumque est fortis, est patiens; sed non convertitur. Est autem patientia quædam fortitudinis pars.

(I, 2, q. LXVI, a. IV, 2^m.)

11 Septembris

De bono tribulationum.

Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Rom. v.

Hic ostenditur vehementia spei qua speramus

nos adepturos gloriam filiorum Dei. Qui enim vehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia et amara, sicut infirmus, si vehementer sperat sanitatem, libenter bibit potionem amaram ut sanetur per ipsam. Signum ergo vehementis spei quam habemus propter Christum, est quod non solum gloriamur ex spe futuræ gloriæ, sed etiam de malis quæ pro ipsa patimur. Unde dicit : *gloriamur in tribulationibus* per quas ad gloriam pervenimus. Act., 14, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Jac., 1, 2 : *Omne gaudium existimate cum in tentationes varias incideritis.*

Tribulatio patientiam operatur, non quod sit ejus causa effectiva, sed quia tribulatio est materia et occasio exercendi patientiæ actum.

Patientia autem probationem. Eccl. 2, 5 : *In igne probatur aurum et argentum.* Detrimentum alicujus rei de facili sustinemus propter rem quam magis amamus. Unde si aliquis in rebus corporalibus et temporalibus patienter sustinet, propter bona consequenda æterna, sufficienter ex hoc probatur quod talis plus amet bona æterna quam temporalia.

Probatio vero spem. Per hoc enim quod aliquis probatus est, potest de eo spes haberi et ab ipso et ab aliis quod ad hæreditatem Dei admittatur. Sic igitur patet quod tribulatio viam parat ad spem. Unde si aliquis vehementer gloriatur de

spe, consequens est ut de ipsis tribulationibus glorietur.

Spes autem non confundit. Spes non confundit, id est non deficit, nisi homo ei deficiat. Ille enim dicitur a spe sua confundi qui deficit ab eo quod sperat.

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Charitas Dei accipi potest et pro charitate qua diligit nos Deus, et pro charitate qua nos Deum diligimus. Et hoc quod ipsum amamus, signum est quod ipse nos amet. Prov., 8, 17 : *Ego diligentes me diligo.*

Dicitur autem charitas qua nos diligit in cordibus nostris diffusa esse, quia est in cordibus nostris patenter ostensa per donum sancti Spiritus nobis impressum. Charitas autem qua nos Deum diligimus dicitur in cordibus nostris diffusa, quia ad omnes mores et actus animæ perficiendos se extendit.

Ex utroque autem intellectu concluditur quod *spes non confundit.* Si enim accipiatur charitas Dei qua nos diligit Deus, manifestum est quod his quos diligit se ipsum non negabit. Similiter si charitas Dei accipiatur qua nos Deum diligimus, manifestum est quod se diligentibus bona æterna præparavit.

(*In Rom.* v.)

12 Septembris

De charitatis præceptis.

I. — De dilectione charitatis quæ est dilectio Dei, debebat dari præceptum.

Finis spiritualis vitæ est ut homo uniatur Deo quod fit per charitatem ; et ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde et Apostolus dicit I Tim., 1, 5 : *Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.* Omnes enim virtutes de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum cor a turbinibus passionum, sicut virtutes quæ sunt circa passiones ; vel saltem ad habendam bonam conscientiam sicut virtutes quæ sunt circa operationes ; vel ad habendam rectam fidem, sicut illa quæ pertinent ad divinum cultum ; et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum a Dei dilectione abstrahitur, propter passionem inclinantem ad terrena ; conscientia vero mala facit horrere divinam justitiam propter timorem pœnæ ; fides autem ficta trahit affectum in id quod de Deo fingitur separans a Dei veritate.

In quolibet autem genere id quod est per se potius est eo quod est propter aliud, et ideo maximum præceptum est de charitate.

II. — Non solum oportet dari præcepta de dilectione Dei, sed etiam de dilectione proximi, propter minus capaces, qui non de facili considerant unum horum præceptorum sub alio contineri.

(2, 2, q. XLIV, a. I et II.)

Et hæc duo præcepta de charitate sufficiunt, quia, sicut Apostolus dicit Rom., 13, 8 : *Qui diligit proximum legem implevit,* quia scilicet omnia præcepta legis, præcipue ordinata ad proximum, ad hunc finem ordinari videntur ut homines se invicem diligant.

(1, 2, q. CV, a. II, 1um.)

Et ideo sicut Apostolus dicit I Tim., 1, 5 : *Finis præcepti charitas est ;* ad hoc enim omnis lex tendit ut amicitiam constituat vel hominum ad invicem, vel hominis ad Deum. Unde tota lex impletur in hoc uno mandato : *Diliges proximum sicut te ipsum,* sicut in quodam fine mandatorum omnium. In dilectione enim proximi includitur etiam Dei dilectio, quando proximus diligitur propter Deum. Unde Apostolus hoc unum præceptum posuit pro duobus, quæ sunt de dilectione Dei et proximi, de quibus dicit Dominus Matth., 22, 40 : *In his duobus mandatis pendet omnis lex et prophetæ.*

(1, 2, q. XCIX, a. I, 2um.)

13 Septembris

De convenienti præcepto circa dilectionem proximi.

I. — *Secundum præceptum est simile huic* : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth., XXII, 38.

Hoc præceptum convenienter traditur ; tangitur enim in eo et diligendi ratio et dilectionis modus.

Ratio quidem diligendi tangitur ex eo quod proximus nominatur. Propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi et secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriæ. Nec refert utrum dicitur *proximus* vel *frater* ut habetur I Joan., 4, vel *amicus*, ut habetur Levit., 19, quia per omnia hæc eadem affinitas designatur.

Modus autem dilectionis tangitur cum dicitur : *sicut teipsum* ; quod non est intelligendum quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi et hoc tripliciter.

1° Quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis di-

ligat proximum propter Deum ; sicut seipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta.

2° Ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa.

3° Ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera. Nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum.
(2, 2, q. XLIV, a. VII.)

II.— Qualia sunt insignia Christi. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan., 13. Sciendum est quod quicumque connumeratur militiæ alicujus regis, debet portare ejus insignia. Insignia autem Christi sunt insignia caritatis. Quicumque ergo vult annumerari militiæ Christi debet caritatis charactere insigniri. Et hoc est quod dicit : *In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem,* dilectionem, inquam, sanctam. Eccli., 24, 24 : *Ego ma-*

ter pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei.

Attende autem quod cum Apostoli multa dona receperunt a Christo, sicut vita et intellectus et bona habitudo corporis ; quædam vero spiritualia, sicut opera miraculorum, Luc., 21, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere adversarii vestri*, omnia ista non sunt signa discipulatus Christi, cum possint esse communia bonis et malis. Sed speciale discipulatus Christi signum est caritas et mutua dilectio. II Cor., 1, 22 : *Signavit nos et dedit Spiritum.*
(*In Joan.*, 13.)

14 Septembris

De morte Crucis.

Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Joan., XII.

Duplici de causa Dominus voluit mori morte crucis. Una quidem propter mortis turpitudinem. Sap., 11, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Unde et Augustinus dicit : Ideo hoc modo

Dominus mori voluit, ut hominem neque ipsa mortis turpitudo a perfectione justitiæ repellat.

Secundo quia sic mors est per modum exaltationis. Unde et Dominus dicit : *Si exaltatus fuero.* Quod quidem genus mortis conveniebat fructui, causæ et figuræ passionis.

Fructui quidem, quia per passionem erat exaltandus. Phil., 11, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Et ideo Ps. xx, 14, dicebat : *Exaltare, Domine, in virtute tua.*

Causæ vero passionis conveniebat dupliciter : 1° ex parte hominum, quia pro ipsorum salute moriebatur ; ipsi autem perierant, quia dejecti et demersi erant ad terrena. Ps. xvi, 11 : *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Voluit ergo mori exaltatus, ut corda nostra ad cœlestia elevaret. Sic enim ipse est via nostra in cœlum. 2° Ex parte dæmonum, ut scilicet eos qui in aere principatum et potestatem exercebant, ipse elevatus in aere conculcet.

Figuræ vero conveniebat, quia Dominus fieri præcepit serpentem æneum in deserto : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Sic ergo exaltatus *omnia traham* per caritatem *ad meipsum.* Jer., 31, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* In hoc etiam maxime apparet caritas

Dei ad hominem, in quantum pro ipsis mori dignatus est. Et in hoc complevit quod sponsa petit Cant., I, 3 : *Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum.*

(*In Joan.*, XII.)

15 Septembris

De mutua dilectione.

Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Joan., XIII.

I. — Tenor mandati est mutua dilectio. Unde dicit : *Ut diligatis invicem.* De ratione enim amicitiæ est quod non sit latens, alias non esset amicitia, sed benevolentia quædam. Et ideo oportet ad veram amicitiam et firmam, quod amici se mutuo diligant, quia tunc amicitia justa est et firma, quasi duplicata. Dominus ergo volens inter suos fideles et discipulos perfectam amicitiam esse, dedit eis præceptum de mutua dilectione. Eccli., VI, 17 : *Qui timet Deum, habebit amicitiam bonam.*

II. — Exemplum vero ponit cum dicit : *Sicut dilexi vos.* Tripliciter enim dilexit nos Christus, gratuite, efficaciter et recte.

Gratuite, quia ipse incepit, nec expectavit quod nos inciperemus amare. I Joan., IV, 10 : *Non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Sic et nos debemus prius diligere proximos, nec expectare præveniri seu beneficari.

Efficaciter autem dilexit, quod patet per opus. Probatio enim dilectionis exhibitio est operis. Majus autem quod homo potest pro amico facere, est ut det seipsum pro eo, quod et Christus fecit. Eph., V, 2 : *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Nos ergo hujus exemplo efficaciter et fructuose invicem diligamus. I Joan., III, 18 : *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*

Recte vero, quia cum omnis amicitia fundetur super aliquam communicationem seu similitudinem (similitudo enim est causa amoris), illa est recta amicitia quæ est propter similitudinem seu communicationem in bono. Christus autem in tantum dilexit nos, in quantum similes sumus ei per gratiam adoptionis, diligendo secundum hanc similitudinem ut ad Deum traheret. Sic ergo et nos in amato non tantum quod beneficii est, seu delectationis, sed quod Dei est, debemus diligere. Et in tali dilectione proximi includitur etiam dilectio Dei.

(*In Joan.*, XIII.)

16 Septembris

De novo dileçtionis mandato.

Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem. Joan., XIII.

Jam quidem in veteri testamento vel lege existebat mandatum de dilectione proximi. Christus interrogatus a legisperito quod esset primum mandatum, respondit : *Diliges Dominum Deum tuum*, et subditur : *Et proximum tuum sicut te ipsum.* Quod habetur Levit., XIX, 18 : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Specialiter tamen mandatum istud dicitur novum propter tria :

1° Propter effectum innovationis quem efficit. Col., III, 9 : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Hæc autem novitas est per caritatem, ad quam hortatur Christus.

2° Istud mandatum dicitur novum propter causam quæ hoc efficit, quia est a novo spiritu. Est enim duplex spiritus, scilicet vetus et novus. Vetus quidem est spiritus servitutis ; novus autem spiritus amoris : ille generat servos, hic filios adoptionis. Rom., VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ezech., 36, 26 : *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* Et hic spiritus inflammat ad caritatem : quia *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.*

3° Per effectum quem constituit, scilicet novum testamentum. Nam brevis differentia novi et veteris testamenti est timor et amor : ut enim dicit Jer., XXXI, 31 : *Feriam domui Israel fœdus novum.* Quod autem mandatum istud in veteri testamento ex timore et amore sancto erat, pertinebat ad novum testamentum : unde hoc mandatum erat in veteri lege, non tanquam proprium ejus, sed ut præparativum novæ legis.

(*In Joan.*, XIII).

17 Septembris

Quomodo sit possibilis dilectio proximi perfecta.

Sicut status præsentis vitæ non patitur ut homo semper actu feratur in Deum, ita etiam non patitur quod actu feratur in omnes proximos singillatim; sed sufficit quod feratur communiter in omnes in universali, et in singulos habitualiter, et secundum animi præparationem.

Potest autem etiam circa dilectionem proximi duplex perfectio attendi, sicut et circa dilectionem Dei: una quidem, sine qua charitas esse non potest, ut scilicet homo nihil habeat in affectu quod sit contrarium dilectioni proximi;

Alia autem sine qua charitas inveniri potest, quæ quidem attenditur tripliciter:

1° Secundum extensionem dilectionis, ut scilicet aliquis non solum diligat amicos et notos, sed etiam extraneos et ulterius inimicos. Hoc enim ut dicit Augustinus, est perfectorum filiorum Dei.

2° Secundum intensionem quæ ostenditur ex his quæ homo propter proximum contemnit, ut scilicet homo contemnat non solum exteriora bona propter proximum, sed etiam afflictiones corporales et ulterius mortem, secundum illud Joan., xv, 13 : *Majorem dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

3° Quantum ad effectum dilectionis, ut scilicet homo pro proximis impendat non solum temporalia beneficia, sed etiam spiritualia et ulterius seipsum, secundum illud Apostoli, II Cor., xii, 15 : *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

(2, 2, q. CLXXXIV, a. ii, 3.um)

18 Septembris

De inimicorum attractione.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Matth., 22, 39.

Constat quidem quod tu peccas, si non parcis veniam postulanti, et quod perfectionis est, si tu

eum ad te revocas, licet non tenearis. Sed ad hoc ut eum trahas ad te, multæ rationes inducunt.

Prima est propriæ dignitatis conservatio. Diversæ enim dignitates diversa signa habent. Nullus autem propriæ dignitatis signa dimittere debet. Inter omnes autem dignitates major est quod quis sit filius Dei. Hujus vero dignitatis signum est, si diligis inimicum. Matth. 5, 44 : *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Si enim diligis amicum, non est hoc signum filiationis divinæ, nam *publicani et ethnici hoc faciunt.*

Secunda est victoriæ acquisitio. Omnes enim hoc naturaliter desiderant. Oportet ergo quod vel trahas eum qui te offendit ad dilectionem bonitate tua, et tunc vincis; vel quod alius trahat te ad odium, et tunc perdis. Rom., 12, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

Tertia est multiplicis utilitatis consecutio. Acquiris enim ex hoc amicos. Rom., 12, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi ; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Augustinus : « Nulla major provocatio ad amorem, quam prævenire amando ». Nullus enim est ita durus, qui etsi dilectionem nolit impendere, nolit tamen rependere.

Quarta est, quia ex hoc preces tuæ facilius exaudiuntur. Unde super illud Jer., 15, 1 : *Si steterint Moyses et Samuel coram me*, dicit Gregorius quod fecit potius de istis mentionem, quia rogaverunt pro inimicis. Similiter Christus ait Luc., 23, 34 : *Pater, dimitte illis.* Item, 13. Stephanus orando pro inimicis magnam utilitatem fecit Ecclesiæ, quia Paulum convertit.

Quinta est peccati evasio, quam maxime desiderare debemus. Aliquando enim peccamus, nec Deum quærimus, et Deus trahit nos ad se vel infirmitate vel aliquo hujusmodi. Oseæ, 2, 6 : *Sepiam viam tuam spinis.* Sic fuit tractus beatus Paulus. Ps. 118, 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit. Quære servum tuum, Domine.* Hoc autem consequimur, si inimicum ad nos trahimus, primo remittentes, quia ut dicitur Luc., 6, 38 : *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis ;* et ibidem : *Dimittite et dimittemini*, et Matth. 5,7 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nulla est enim major misericordia quam offendenti ignoscere.

(*In Decal.* x.)

19 Septembris

An misericordia sit maxima virtutum.

I. — Aliqua virtus potest esse maxima dupliciter : uno modo secundum se, alio modo per comparationem ad habentem.

Secundum se quidem misericordia maxima est ; pertinet enim ad misericordiam quod aliis effundat et quod plus est, quod defectus aliorum sublevet, et hoc maxime superioris est. Unde et misereri ponitur proprium Deo, et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari.

Sed quoad habentem misericordia non est maxima, nisi ille qui habet sit maximus qui nullum supra se habeat, sed omnes sub se. Ei enim qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori quam supplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem qui habet Deum superiorem, charitas per quam Deo unitur, est potior quam misericordia, per quam defectus proximorum supplet. Sed inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia, sicut etiam est potioris actus ; nam supplere de-

fectum alterius, in quantum est hujusmodi, est superioris et melioris.

Misericordia equidem cultui divino præfertur secundum illud Ose., VI: *Misericordiam volo et non sacrificium*, quia Deum non colimus per exteriora sacrificia aut munera propter ipsum, sed propter nos et propter proximos. Non enim indiget sacrificiis nostris; sed vult sibi ea offerri propter nostram devotionem et proximorum utilitatem. Et ideo misericordia qua subvenitur defectibus aliorum est sacrificium ei magis acceptum, utpote propinquius utilitatem proximorum inducens, secundum illud Hebr.: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Quamvis autem summa religionis christianæ in misericordia consistat quantum ad exteriora opera, interior affectio charitatis qua conjungimur Deo præponderat et dilectioni et misericordiæ in proximos.

Et ex hoc resultat melior assimilatio ad Deum. Per charitatem enim assimilamur Deo, tanquam ei per affectum uniti, et ideo potior est quam misericordia, per quam assimilamur Deo secundum similitudinem operationis.

(2, 2, q. XXX, a. IV.)

II. — Tria maxime debent nos movere ad faciendam misericordiam.

1° Necessitas, quia qui non facit misericordiam non inveniet misericordiam. Jac. 2, 13 : *Judicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.*

2° Utilitas, quia qui facit misericordiam inveniet misericordiam. Matth., 5, 7 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

3° Congruitas, quia cum misericordiam ab omnibus creaturis recipiamus, satis congruum est quod aliis misericordiam faciamus. Sumus enim pleni miseria, et nisi creaturæ misereantur nostri dando se nobis et sua beneficia, subsistere non possemus. Si enim sol vel ignis subtraheret lumen suum et calorem, et terra fructus suos, quid faceret miser homo? Satis ergo congruum est, cum homo indigeat misericordia, quod aliis faciat misericordiam.

(*Serm. Dom, IV P. Pentecost.*)

20 Septembris

De legis amoris quadruplici bono.

Quum non omnes possunt scientiæ insudare, propterea a Christo data est lex brevis, ut ab om-

nibus posset sciri et nullus propter ignorantiam possit ab ejus observantia excusari, et hæc est lex divini amoris. Apostolus Rom. IX : *Verbum breviatum faciet Dominus super terram.*

Et hæc lex debet esse regula omnium actuum humanorum ita ut quodlibet humanum opus rectum sit et virtuosum, quando regulæ divinæ dilectionis concordat, non vero bonum nec rectum aut perfectum, quando discordat ab hac regula.

Lex vero divini amoris quatuor efficit in homine valde desiderabilia.

Primo causat in eo spiritualem vitam. Manifestum est enim quod naturaliter amatum est in amante, et ideo qui Deum diligit, ipsum in se habet. I Joan., IV : *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* Natura etiam amoris est quod amantem in amatum transformat : unde si vilia diligimus et caduca, viles et instabiles efficimur. Si autem Deum diligimus, divini efficimur, quia ut dicitur I Cor., VI, 17 : *Qui adhæret Domino unus spiritus est.* Sed sicut Augustinus dicit : Sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ. Tunc vero dicimus corpus per animam vivere, quando habet operationes proprias vitæ, et quando operatur et movetur ; anima vero recedente, corpus nec operatur nec movetur. Sic etiam tunc anima operatur virtuose et perfecte, quando

per caritatem operatur, per quam habitat Deus in ea, absque caritate vero non operatur.

Si quis autem habet omnia dona Spiritus sancti absque caritate, non habet vitam. Sive enim sit gratia linguarum, sive sit donum fidei, vel quidquid sit aliud, sine caritate vitam non tribuunt. Si enim corpus mortuum induatur auro et lapidibus pretiosis, nihilominus mortuum manet.

Secundum quod facit caritas est divinorum mandatorum observantia. Gregorius : Nunquam est Dei amor otiosus : operatur enim magna si est; si vero operari renuit, amor non est. Unde manifestum signum caritatis est promptitudo implendi divina præcepta. Videmus enim amantem propter amatum magna et difficilia operari.

Tertium quod facit caritas est quia est præsidium contra adversa. Habenti enim caritatem nulla adversa nocent, sed in utilia convertuntur. Rom., VIII, 28 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ; imo etiam adversa et difficilia suavia videntur amanti, sicut et apud nos manifeste videmus.

Quartum est quod ad felicitatem perducit : solum enim caritatem habentibus æterna beatitudo promittitur, omnia enim absque caritate insufficientia sunt. Et sciendum quod solum secundum

differentiam caritatis est differentia beatitudinis, et non secundum aliquam aliam virtutem.
(*In Decalog.* II.)

21 Septembris

De cæteris legis amoris utilitatibus.

1° Caritas efficit peccatorum remissionem. Si enim aliquis aliquem offendit et ipsum postea intime diligat, propter dilectionem sibi offensam laxat, sic et Deus diligentibus se peccata dimittit. Forte dicet aliquis : sufficit ergo caritas ad delenda peccata, et non est necessaria pœnitentia. Sed considerandum est quod nullus vere diligit qui non vere pœnitet. Quanto enim magis aliquem diligimus, tanto magis dolemus si ipsum offendimus, et hic est unus caritatis effectus.

2° Causat cordis illuminationem sicut dicit Job., 37, 19 : *Omnes involvimur tenebris.* Frequenter enim nescimus quid agendum vel desiderandum, sed caritas docet omnia necessaria ad salutem ; ideo dicitur I Joan., II, 27 : *Unctio*

ejus docet vos de omnibus. Et hoc ideo est, quia ubi caritas, ibi Spiritus sanctus qui novit omnia, qui deducit nos in viam rectam. Ideo dicitur Eccli., 2, 10 : *Qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.*

3° Perficit in homine perfectam lætitiam; nullus enim vere gaudium habet, nisi existens in caritate. Quicumque aliquod desiderat, non gaudet nec lætatur nec quietatur donec illud adipiscatur. Et accidit in rebus temporalibus quod non habitum appetatur, et habitum despicitur et tædium generat. Sed non sic est in spiritualibus ; imo qui Deum diligit, habet ipsum, et ideo animus diligentis et desiderantis quietatur in eo.

4° Efficit pacem perfectam. Accidit in rebus temporalibus quod frequenter desiderantur, sed ipsis habitis adhuc animus desiderantis non quiescit ; imo uno habito, aliud appetit. Isa., 57, 20 : *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Item : *Non est pax impiis.* Sed non sic accidit in caritate circa Deum. Qui enim diligit Deum, pacem perfectam habet. Ps. 118, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*. Et hoc ideo, quia solus Deus sufficit ad implendum desiderium nostrum. Deus enim major est corde nostro, et ideo dicit Augustinus : Fecisti nos, Domine, ad te, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.

5° Facit caritas hominem magnæ dignitatis. Omnes enim creaturæ ipsi divinæ majestati serviunt sicut artificialia subserviunt artifici ; sed caritas de servo facit liberum et amicum. Unde ait Dominus apostolis : *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Et non solum facit caritas liberos, sed etiam filios, ut scilicet *filii Dei nominemur et simus*. Tunc enim extraneus efficitur alicujus filius adoptivus, quando acquirit sibi jus in hæreditate illius, sic et caritas acquirit jus in hæreditate Dei, quæ est vita æterna. Sap., v, 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*. (*In Decalog.*, III.)

22 Septembris

De dilectione Dei.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua. Luc., x, 27.

I. — Hoc præceptum diversimode invenitur traditum in diversis locis S. Scripturæ. Nam Deut., VI, ponuntur tria, *ex toto corde* et *ex tota anima*

et *ex tota fortitudine ;* Matth., XXII, ponuntur duo horum, *ex toto corde* et *in tota anima ;* et omittitur *ex tota fortitudine,* sed additur *in tota mente,* sed Marc., XII, ponuntur quatuor : *ex toto corde,* et *ex tota anima* et *ex tota mente* et *ex tota virtute,* quæ est idem fortitudini ; et hæc etiam quatuor tanguntur Luc. X, nam loco fortitudinis seu virtutis ponitur : *Ex omnibus viribus tuis.*

II. — Et ideo horum quatuor est ratio assignanda. Nam quod alicubi unum horum omittatur, hoc est quia unum intelligitur ex aliis. Est ergo considerandum quod dilectio est actus voluntatis quæ hic significatur per *cor.* Nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas et maxime quantum ad intentionem finis ultimi qui est objectum charitatis, est principium omnium spiritualium motuum. Tria autem sunt principia actuum quæ moventur a voluntate, scilicet intellectus qui significatur per *mentem ;* vis appetitiva inferior, quæ significatur per *animam ;* et vis executiva exterior quæ significatur per *fortitudinem* seu *virtutem,* seu *vires.*

Præcipitur ergo nobis ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est *ex toto corde ;* et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est *ex tota mente ;* et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est *ex tota anima ;* et quod ex-

terior actus noster obediat Deo, quod est *ex tota fortitudine* vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere.

Chrysostomus tamen accipit e contrario *cor* et *animam* quam dictum sit. Augustinus vero refert *cor* ad cogitationes, et *animam* ad vitam, *mentem* ad intellectum. Quidam autem dicunt *ex toto corde*, id est intellectu ; *anima*, id est voluntate ; *mente*, id est memoria. Vel secundum Gregorium Nyssenum, per *cor* significat animam vegetabilem ; per *animam*, sensitivam ; per *mentem*, intellectivam, quia hoc quod nutrimur, sentimus, et intelligimus, debemus ad Deum referre.

(2, 2, q. XLIV, a. v.)

III. — In divina dilectione non est habendus modus. Finis enim omnium actionum humanarum et affectionum est dilectio Dei, per quam maxime attingimus ultimum finem, et ideo in dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata, ut sit in ea accipere plus et minus, sed sicut invenitur modus in mensura, in qua non potest esse excessus, sed quanto plus attingitur regula, tanto melius est ; et ita quanto Deus plus diligitur, tanto est dilectio melior.

(2, 2, q. XXVII, a. VI.)

23 Septembris

De quatuor ad implendum de Dei dilectione præceptum necessariis.

Interrogatus Christus ante passionem quod esset maximum et primum mandatum, dixit Matth. 22, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota mente tua ; hoc est maximum et primum mandatum.*

Et vere istud est majus et nobilius et utilius inter omnia mandata ; in hoc enim omnia mandata implentur. Sed ad hoc quod possit perfecte impleri, quatuor requiruntur :

1° Divinorum beneficiorum rememoratio : quia omnia quæ habemus, sive corpus, sive exteriora, habemus a Deo ; et ideo oportet quod sibi de omnibus serviamus, et eum diligamus corde perfecto. Nimis enim ingratus est qui cogitans alicujus beneficia eum non diligit. Hæc recogitans David dicebat : *Tua sunt omnia ; quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et ideo in ejus laudem dicitur Eccli., 47, 10 : *De omni corde suo laudavit Dominum et dilexit Deum qui fecit illum.*

2° Divinæ excellentiæ consideratio. *Deus* enim *major est corde nostro.* I Joan., 3, 20. Unde si toto corde et viribus ei serviamus, adhuc non sufficimus. Eccli. 43, 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc... Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis ; major est enim omni laude.*

3° Mundanorum et terrenorum abdicatio. Magnam enim injuriam Deo facit, qui aliquid ei adæquat. Isa., 40, 18 : *Cui similem fecistis Deum* ? Tunc autem alia Deo adæquamus, quando res temporales et corruptibiles simul cum Deo diligimus. Sed hoc est omnino impossibile. Propterea dicitur Isa. 28, 20 : *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest.* Ubi cor hominis assimilatur strato arcto et pallio brevi. Cor enim humanum arctum est in respectu ad Deum ; unde quando alia ab eo in corde tuo recipis, ipsum expellis. Ipse enim non patitur consortem in anima, sicut nec vir in uxore, et ideo dicit ipse Exod., 20, 5 : *Ego sum Deus tuus zelotes.* Nihil enim vult quod diligamus quantum eum aut præter eum.

4° Omnimoda peccatorum vitatio. Nullus enim potest diligere Deum in peccato existens. Unde si in peccato existis, Deum non diligis. Sed ille diligebat qui dicebat Isa., 38, 3 : *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde*

perfecto. Præterea dicebat Elias, III Reg., 18, 21 : *Quousque claudicatis in duas partes?* Sicut claudicans nunc huc, nunc illuc inclinatur, sic et peccator nunc peccat, nunc Deum quærere nititur. Et ideo Dominus dicit Joel., 2, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

(*In Decalog.*, c. v.)

24 Septembris

Quomodo sit possibile perfectam charitatem habere in hac vita.

I. — Perfectio charitatis potest intelligi dupliciter : uno modo ex parte diligibilis, alio modo ex parte diligentis.

Ex parte diligibilis, perfecta est charitas quando diligitur aliquid quantum diligibile est. Deus autem tantum diligibilis est quantum bonus est ; bonitas vero ejus est infinita, unde infinite diligibilis est. Nulla autem creatura potest eum diligere infinite, cum quælibet virtus creata sit finita. Unde per hunc modum nullius creaturæ charitas potest esse perfecta, sed solum charitas Dei qua seipsum diligit.

II. — Ex parte vero diligentis, tunc est charitas perfecta, quando diligit tantum quantum potest. Quod quidem contingit tripliciter.

Uno modo sic quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita ; in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum.

Alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem.

Tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium, et hæc est perfectio communis omnibus charitatem habentibus.

Ideo perfecta charitas possibilis est in hac vita, et tamen perfectio viæ non est perfectio simpliciter et ideo semper habet quo crescat.

Perfectio charitatis ad quam ordinantur consilia in hoc consistit quod homo, quantum possibile est, se abstrahat a rebus temporalibus etiam lici-

tis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum cordis in Deum. (2, 2, q. XLIV, a. IV.)

Intendit Deus per præceptum : *diliges Dominum,* ut homo sibi totaliter uniatur, quod fiet in patria, quando *Deus erit omnia in omnibus.* Et ideo plene et perfecte in patria implebitur hoc præceptum. In via autem impletur, sed imperfecte, et tamen in via tanto unus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quamdam similitudinem ad patriæ perfectionem.

(2, 2, q. XLVI, a. VI.)

25 Septembris

De charitatis augmento.

I. — Charitas viæ potest augeri. Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto magis Deo propinquamus ; cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc vero propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viæ est ut possit augeri ; si enim non posset augeri, jam cessaret viæ

processus. Et ideo Apostolus charitatem viam nominat, dicens I Cor., XII, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*

II. — Semper charitas in via potest magis ac magis augeri. Nullo enim modo imponitur terminus augmento charitatis in statu viæ. Ipsa charitas secundum rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet; est enim participatio quædam infinitæ charitatis quæ est Spiritus sanctus. Similiter causa augens charitatem est infinitæ virtutis, scilicet Deus. Similiter ex parte subjecti terminus huic augmento præfigi non potest, quia semper charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum. Capacitas enim creaturæ rationalis per charitatem augetur, quia per ipsam cor dilatatur, secundum illud II Cor., VI, 11 : *Cor nostrum dilatatum est.* Unde relinquitur quod charitatis augmento nullus terminus præfigi possit in hac vita.

III. — Charitas non augetur per additionem charitatis ad charitatem, sed per hoc quod subjectum magis ac magis participat charitatem, id est secundum quod magis reducitur in actum illius ac magis subditur illi. Per augmentationem charitatis non oportet quod aliquid insit quod prius non infuerit, sed quod magis insit quod prius minus inerat. Et hoc est quod facit Deus, charitatem augendo, scilicet quod magis insit, et quod perfectius similitudo Spiritus sancti participetur in anima.

IV. — Augmentum spirituale charitatis quodammodo simile est corporali augmento, quod in animalibus et plantis non est motus continuus, sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum et nihil augens actu, et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu.

Ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur; sed quilibet actus disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior ad agendum iterum secundum charitatem, et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis quo conetur ad charitatis profectum, et tunc charitas augetur in actu.

Sicut quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non statim exhibendam, sed suo tempore, ita quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. (2, 2, q. XXIV, a. IV, VII.)

26 Septembris

De triplici gradu charitatis.

I. — Charitas, inquit Augustinus, cum fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes; cum

fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes; cum fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos. Ergo est triplex gradus charitatis.

Spirituale augmentum charitatis considerari potest quantum ad aliquid simile corporali hominis augmento, quod, quamvis in plurimas partes distingui possit, habet tamen aliquas determinatas distinctiones secundum determinatas actiones vel studia ad quæ homo perducitur per augmentum. Ita etiam diversi gradus charitatis distinguuntur secundum diversa studia ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum.

II. — Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato et resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent; et hoc pertinet ad incipientes in quibus charitas est nutrienda vel fovenda ne corrumpatur.

Secundum autem studium succedit ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat; et hoc studium pertinet ad proficientes qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis charitas per augmentum roboretur.

Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhæreat et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos qui cupiunt *dis-*

solvi et esse cum Christo. Sicut etiam videmus in motu corporali, quod primum est recessus a termino; secundum autem est appropinquatio ad alium terminum; tertium est quies in termino.

Illis in quibus charitas incipit, quamvis proficiant, principalior tamen cura imminet ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minus sentientes, jam quasi securius intendunt ad profectum, ex una parte facientes opus, et ex alia parte habentes manum ad gladium, ut dicitur in Esdra de ædificatoribus Jerusalem.

Perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed non est ad hoc principalis eorum cura; sed jam eorum studium circa hoc maxime versatur ut Deo inhæreant. Et quamvis etiam hoc quærant et incipientes et proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem, incipientes quidem de vitatione peccatorum, proficientes vero de profectu virtutum. (2, 2, q. XXIV, a. IX.)

27 Septembris

De necessariis ad acquirendam et augendam caritatem.

Quum caritas tam utilis sit, studiose laborandum est ad acquirendam eam et augendam. Duo

autem specialiter ad acquirendam caritatem necessaria sunt et duo ad augmentum caritatis jam acquisitæ.

I. — Ad acquirendam igitur caritatem primum est diligens divini verbi auditio. Audientes enim bona de aliquo, in ejus dilectionem accendimur ; sic et Dei verba audientes, accendimur in amorem ipsius. Ps. 118, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Et illi duo discipuli divino amore æstuantes dicebant Luc., XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?*

Secundum est bonorum continua cogitatio. Ps. 38, 4 : *Concaluit cor meum intra me...* Si ergo vis divinum amorem consequi, mediteris bona. Durus enim nimis esset qui divina beneficia quæ consecutus est, pericula etiam quæ evasit, et beatitudinem quæ sibi a Deo repromittitur cogitans, ad divinum amorem non accenderetur. Unde Augustinus : Durus est animus hominis qui etsi dilectionem nolit impendere, saltem non velit rependere. Et universaliter, sicut cogitationes malæ destruunt caritatem, ita bonæ eam acquirunt, nutriunt et conservant.

II. — Sunt autem et duo quæ habitam caritatem augent.

Primum est cordis separatio a terrenis. Cor enim perfecte in diversa ferri non potest. Unde nullus valet Deum et mundum diligere ; et ideo quanto magis ab amore terrenorum noster animus elongatur, tanto magis firmatur in dilectione divina. Unde Augustinus dicit : Caritatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium ; nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis ; perfectio, nulla cupiditas. Quisquis igitur caritatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas amor adipiscendi aut obtinendi temporalia. Hujus imminuendæ initium est Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Et propter hoc ordinatæ sunt religiones, in quibus et per quas a mundanis et corruptibilibus animus trahitur et erigitur ad divina. Quod signatur ubi dicitur : *Refulsit sol qui prius erat in nubilo.* Sol, id est intellectus humanus, est in nubilo, quando deditus est terrenis, sed refulget, quando a terrenorum amore elongatur et retrahitur. Tunc enim splendet et divinus amor in eo crescit.

Secundum est firma patientia in adversis. Quando enim gravia pro eo quem diligimus, sustinemus, amor ipse non destruitur, imo crescit. Et ideo sancti viri qui adversitates pro Deo sustinent, magis in ejus dilectione firmantur, sicut artifex illud artificium magis diligit in quo plus laboravit. Et inde est quod fideles quanto plures

afflictiones pro Deo sustinent, tanto magis elevantur in amore ipsius.
(*In Decalog.*, c. IV.)

28 Septembris

De amore boni summe delectabilis.

Memor fui Dei, et delectatus sum. Ps. 76, 4.

Deus, sicut præcellit omne concupiscibile, sic delectat præ omni delectabili, et hoc tripliciter, quia generalius, intimius, durabilius.

I. — Alia delectant particulariter, ut sapida solum gustum, non autem auditum ; sonora auditum, non visum, et sic de singulis. Deus autem generaliter, quia generale bonum ipse est, et omnis particularis boni causa. Anselm. : Si singularia bona delectabilia sunt cognita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet in se jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantum differentem, quantum differt creator a creatura.

II. — Alia delectant superficialiter, et quasi exterius. Deus autem intime, et ideo profunde. Solus enim Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, et ideo medullitus delectat. Aug. Cum inhæsero tibi ex omni mente mea, nunquam erit labor et dolor, sed tuta erit vita mea, tota plena te.

Item : O Domine Deus, quid est quod amo cum te amo ? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis istis amicum oculis, non dulces melodias, non florum et aromatum suavitatem, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hoc amo cum Deum meum amo, et tamen amo quamdam lucem, quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum.

Non amo Deum meum ut lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum exterioris hominis, sed interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, ubi olet quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi hæret quod non divellit satietas, hoc est quod amo cum Deum meum amo.

III. — Alia delectant transitorie et terminabiliter, Deus autem æternaliter. August. « Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum inferiorum, et dilaniatur cum eas amittit, te vero nemo amittit, nisi qui dimittit, » Et ratio est quia om-

nis creatura de se mutabilis est. Sed quoniam *anima satiata calcabit favum*, Prov., 27, 7, anima quæ creaturas diligens concupiscit, quoniam consequens et adipiscens fruitur et delectatur, quo plenior bono creato, tanto minus esurit increatum. Et ideo jejunandum ab his, ut illud concupiscatur. Ps. 76, 3 : *Renuit consolari anima mea.*

Aug. Cætera creatura vilescat, ut creator in corde dulcescat.

(*De dilect. Dei*, IV.)

29 Septembris

De causis amoris.

I. — Amicus es hominis, quia præsens. In hoc autem Deus præponderat tripliciter, quia præsens est intime, semper et ubique.

Homo præsens est, quia juxta te, sed Deus præsentior, quia intra te. August. Intimus cordi est, et cor aberravit ab eo. Homo præsens quandoque et quandoque absens est necessario, sed nunquam Deus absens est tibi, licet tu quandoque elongas, te absentes. August. Intus eras, et ego

foras, et ibi te quærebam, et in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam ; mecum eras et tecum non eram.

Item homo cujus amicus es alicubi tibi est præsens, alicubi absens ; Deus ubique tibi est præsens. Unde cum moriens præsentiam amicorum, qua tunc maxime indigebis, habere non possis, hujus amici præsentia consolabiliter potieris. Ps. 22 : *Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

II. — Amicus es hominis, quia utilis. In hoc autem tripliciter præponderat Deus : quia ab ipso tibi utilitas major, multiplicior et diuturnior.

Amicus tibi communicat bona sua. Deus vero dat sua et se. Rom., 8, 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donavit* ? Quis amicorum filium suum vel spiritum suum tibi donaturus est, ut Deus fecit ? Dat sua. Dat enim dona digniora, majora, plura, permanentiora in duratione et tempore, meliora in relatione ad finem. Magna et multa donavit in præterito, donat et donare non cessat in præsenti, sed maxima et plurima donabit in futuro.

III. — Amicus es hominis, quia amabilis. Prov., 18, 24 : *Vir amabilis magis amicus erit quam frater.* Tria autem amabilem faciunt, gratiositas in vultu, affabilitas in convictu vel verbo, mansuetudo in gustu vel actu.

Præponderat vero in his Deus.

Nimirum enim *fallax gratia et vana pulchritudo*, quam confert sanitas, complexionis bonitas et juvenilis ætas. Apparet enim quoniam aufert ipsam vel ægritudo fugans sanitatem, vel senectus excludens juventutem, vel mors dissolvens complexionem. Sed amabilis ille qui gratiosior in facie, cujus facies *plena est gratiarum, in quem desiderant angeli prospicere*, cujus pulchritudo non languescit, sed intuentes salvos facit; non senescit, sed juvenescere facit; non moritur, sed vivificat in æternum.

Item amabilis qui affabilior in sermone. Ex., 33, 11 : *Loquebatur Dominus Moysi, sicut loquitur homo ad amicum suum.* Affabilis non solum justis, sed et injustis utpote publicanorum et peccatorum amicus.

Item amabilis, quia mansuetus in actione. Ps. 53, 71 : *Ego quasi agnus mansuetus.*

(*De dilect. Dei*, X, XI, XII.)

30 Septembris

De profectu amoris seu de carbone, flamma et luce.

Sicut in naturalibus, ita et in moralibus tria sunt, scilicet frigus, tepor et calor. Tepidum est

medium inter extrema quæ opponuntur. Per tepidum est transitus a frigido ad calidum, et sic tepidum laudabile aliquantulum et bonum, quia via est et dispositio ad generationem caloris, sed non sufficiens, quia frigus in eo non moritur, sed remittitur. Frigus igitur est status culpæ prorsus amoris expers ; tepor, status gratiæ gratis datæ ; calor gratiæ gratum facientis, ubi primo frigus expulsum a contrario perimitur et moritur. Est et per tepidum reditus a calido ad frigidum, et sic vituperabile. Apoc. 3, 16 : *Quia tepidus es, incipiam te evomere.*

In calido autem sunt tres diversitates, scilicet calens, fervens et ardens : calor initium, fervor incrementum, ardor complementum. Sunt enim tres species ignis, carbo in materia terrea, flamma in materia aerea, lux in materia propria. Et per hæc possunt significari tres ardoris differentiæ secundum tres status, scilicet pœnitentium, activorum et contemplativorum.

1° Status pœnitentium habet ardorem carbonis, ubi est ignis in materia terrea. Isa., IV, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiæ Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris.* Verum in hoc statu pœnitentiæ inveniuntur nonnulli tepentes, pauci calentes, pauciores ferventes, paucissimi ardentes.

2° Status progredientium in itinere bonæ actionis

habet ardorem flammæ, quæ magis sursum tendit, et de carbone nascens, parte sua nobilior est in materia, clarior in forma. Verum et in hoc statu invenies non omnes ardentes, sed quosdam tepidos, alios calidos, paucos fervidos, rarissimos ardentes. Exemplum habes in eis qui dicebant : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum nobis loqueretur in via, et aperiret scripturas?* Vide ibi et disce quales itinerantes et ex quibus causis ardent. Vide in his duo, scilicet motum et actum.

In motu considera quatuor : Ibant duo simul ; in numero concors societas. Ex discipulis, non ex magistris. Ibant *ipsa die* non in nocte. In termino desiderium perfectionis, *ibant in Emmaus*, quod interpretatur desiderium consilii.

Actus eorum triplex describitur, quid cogitarent corde, passionem Christi, et ideo *tristes*, non seculariter gaudentes ; quid dicerent ore : conferebant non de vanis, sed de *his omnibus quæ acciderant* ; quid facerent opere : exhibebant hospitium peregrino. Et talibus viatoribus Jesus appropinquans ibat, et simul vadit ; increpat nonnunquam, scripturas aperit, et sic ardorem causat.

3° Status quiescentium in pace contemplationis, hic habet ardorem lucis ; sed tamen et inter contemplativos invenies calentes, ferventes, perpaucos autem ardentes. Tales illi in *Jerusalem sedentes*

et ignem divinum excipientes. De quibus Gregorius : Dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt. Primi ergo ardent multum utiliter, sed et multum pœnaliter ; secundi magis utiliter et minus pœnaliter ; tertii maxime utiliter et minime pœnaliter, et ideo suaviter. Hæc est visio magna, ardor sine pœna, suavis, non gravis, ita ut Moyses miraretur quod *rubus arderet et non combureretur*.

(*De dilect. Dei.*)

Dom. I Octobris

In festo sanctissimi Rosarii.

Domina nostra fuit plena gratia fecundante in Filii sui conceptione. Unde ab Angelo est ei dictum in Luc., 1, 30 : *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum ; ecce concipies et paries Filium.* Quod quidem magnæ admirationis est et dignitatis quod simul et semel fuerit Dei mater et filia, mater et ancilla, virgo et fecunda. Unde propter hanc gratiam facta est Deo amicissima. Et dicitur de Esther in figura : *Introducta est Esther ad cubiculum regis, et adamavit eam*

Rex super omnes mulieres, invenitque gratiam et misericordiam coram eo; et posuit diadema regni in capite ejus. Apoc., XII, 4. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Unde Bernardus ad eam dicit : « Quam familiaris es Christo, Domina, quam illi proxima, quam munda fieri meruisti ! Quantam apud eum gratiam invenisti ut maneret in te et tu cum ipso ! Vestis eum, vestiris ab eo ipso. Vestis eum substantia tuæ carnis ; sed ille te vestit suæ gloria majestatis. »

In hac tam sublimi gratia, etsi non sit Domina imitanda, est tamen omni honore benedicenda, et prædicanda, laudanda, et in nostrum auxilium invocanda. Bernardus : « In omnibus respice maris stellam, voca et clama Mariam, quia ipsa est quæ dat misericordiam mari et inter fluctus firmissimam semitam. Ipsa enim est anchora qua navis in mari firmatur, et est navis qua homo a tentationum fluctibus liberatur. » Bernardus : « Ille solus ab ejus abstineat laudibus, qui eam in tribulationibus vocans non fuit exauditus. »

Necesse est igitur ut qui vult a Deo gratiam impetrare, quod ad hanc mediatricem accedat devotissimo corde, quia cum sit regina misericordiæ, nil omnino habens in regno justitiæ, nihil petenti poterit denegare. Nam, ut Bernardus ait,

« a peccatore rogata ostendit Filio pectus et uberâ ; Filius autem Patri latus et vulnera, quare nulla potest esse repulsa, ubi tot concurrunt caritatis insignia ». Unde Ap. Hebr., 4, 16 : *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* Nam et ipsa in Eccli., 24, 25, dicit : *In me omnis gratia : transite ergo ad me omnes.*

(*Salut. angel. exp.* II).

Dom. II Octobris

In festo Maternitatis B. V. M.

I. — Decuit Christum nasci de fœmina.

1° Quia per hoc tota natura humana nobilitata est. Unde Augustinus : « Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut fœminei sexus liberatio hinc appareret quod ille vir de fœmina natus est. » Ne igitur sexus fœmineus contemni videretur, congruum fuit ut carnem assumeret de fœminâ. Unde Augustinus : Nolite vos ipsos contemnere

viri : Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere, fœminæ : Filius Dei natus est ex fœmina.

2° Per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanæ. Nam primus homo productus est ex limo terræ sine viro et fœmina ; Eva producta est ex viro sine fœmina. Alii vero nascuntur ex viro et fœmina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina sine viro. (3ª q. XXXI, a. IV.)

II. — B. Virgo est mater Dei.

Concipi enim et nasci personæ attribuitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis humana natura fuerit assumpta a divina persona, consequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem aliqua mulier dicitur alicujus mater quod eum concepit et genuit. Unde sequitur quod B. Virgo vere dicatur Mater Dei. (3, q. XXXV, a, IV.)

Et S. Ignatius pulchro exemplo utitur. In generatione hominum mulier dicitur mater, et tamen mulier non dat animam rationalem quæ a Deo est, sed ministrat substantiam ad corporis formationem. Sic igitur mulier dicitur mater totius hominis, quia id quod sumptum est de ea unitur animæ rationali. Similiter cum humanitas Christi sumpta sit de B. Virgine, propter unionem ad

divinitatem dicitur B. Virgo non solum mater hominis, sed etiam Dei ; quamvis ab ipsa non sumatur divinitas, sicut nec in aliis anima rationalis sumitur a matre.

Per hoc vero ostenditur Mariæ dignitas. Nulli enim creaturæ concessum est nec homini, nec Angelo, ut esset pater aut mater Dei. Sed hoc fuit privilegium gratiæ singularis ut non solum hominis, sed Dei mater fieret, et ideo dicitur in Apoc., 12 : *Mulier amicta sole*, quasi tota repleta divinitate. (*In Matth.*, 1.)

III. — Mater Dei habet quamdam dignitatem infinitam.

Sicut quolibet bono creato, eo quod finitum est, potest aliquid melius esse, ita bono increato, eo quod infinitum est, nihil melius esse potest. Et ideo bonitas creaturæ dupliciter considerari potest : aut quæ est ipsius in se absolute, et sic qualibet creatura potest esse aliquid melius ; aut per comparationem ad bonum increatum, et sic dignitas creaturæ recipit quamdam infinitatem ex infinito cui comparatur, sicut humana natura in quantum est unita Deo, et B. Virgo, in quantum est mater Dei, et gratia, in quantum conjungit Deo (I Dist. 44, q. I). Ex hac parte, non potest aliquid fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo. (1ª, q. XXV, a. VI.)

Dom. III Octobris

In festo Puritatis B. V. M.

Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. Eccli. 26, 19.

I. — Talis fuit Beata Virgo quæ non solum gratiam cunctis communem, sed super hanc gratiam habuit gratiam sanctificantem, ut non solum in conversatione sancta fuerit, sed etiam in utero matris. Augustinus: Cum de peccatis agitur, nullam de matre Domini volo haberi quæstionem, qua sola excepta, si omnes Sancti simul et sanctæ in unum unirentur, et quæreretur ab eis utrum sine peccato essent, quid respondere possint, nisi quod dicit I Joan., 1, 6: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Unde ipsa sola de omnibus potest dicere illud Job., 27, 6: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

In hoc autem dono eam non possumus imitari, quia sicut in peccato concipimur, ita et nascimur. Sed hoc considerare debemus quod ille qui præservavit virginis uterum, non fœdum, sed mundum

requirit habitaculum, Ps. 92, 5 : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* Dei domus est noster animus, qui debet esse per omnia mundus et sanctus, ne nobis dicatur illud Matth. 21, 13 : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* (*Sal. ang. expos.* II.)

II. — Beata Virgo excedit etiam Angelos quantum ad puritatem ; quia non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.

Item quantum ad pœnam. Tres enim maledictiones datæ sunt hominibus propter peccatum.

Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit B. Virgo, quia sine corruptione concepit, in solatio portavit et in gaudio peperit salvatorem. Isa. 35, 2 : *Germinans germinabit exultabunda et laudans.*

Secunda data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit B. Virgo, quia, ut dicit Apostolus, virgines solutæ sunt a cura hujus mundi, et soli Deo vacant.

Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac im-

munis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est in cœlum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in cœlum. Ps. 131, 8 : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.*

Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in mulieribus, quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et januam paradisi aperuit. Et ideo convenit ei nomen Maria quæ interpretatur stella maris ; quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. (*Sal. ang. exp.* I.)

In festo Dedicationis

Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.

1° Sacramentum Eucharistiæ regulariter celebrari debet in domo per quam significatur Ecclesia secundum illud I Tim., III, 15 : *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificii. Et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Judaicæ, sed erat in universo mundo fundanda, ideo passio Christi

non est celebrata intra civitatem Judæorum, sed sub dio, ut sic totus mundus se haberet ad passionem Christi ut domus.

Domus vero in qua hoc sacramentum celebratur, quæ Ecclesiam significat et ecclesia nominatur, convenienter consecratur, tum ad repræsentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem quæ requiritur in his qui hoc sacramentum suscipere debent. Per altare autem significatur ipse Christus de quo dicit Apostolus : *Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo.* Unde et consecratio altaris significat sanctitatem Christi.

Ecclesia autem et altare et alia consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde II Mach., III, 35, dicitur : *Vere Dei virtus quædam est in loco ; nam ipse qui habet in cœlis habitationem visitator et adjutor est loci illius.* Et inde est quod hujusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur. Unde et quidam probabiliter dicunt quod per ingressum ecclesiæ consecratæ homo consequatur remissionem peccatorum venialium, inducentes illud Ps. 84 : *Benedixisti, Domine, terram tuam,*

remisisti iniquitatem plebis tuæ. Et ideo propter virtutem quæ ex consecratione ecclesiæ acquiritur, consecratio ecclesiæ non iteratur. (3ª, q. LXXXIII, a. III.)

II. — Fideles qui sunt templum Dei, dicente Apostolo : *Templum Dei sanctum est quod estis vos*, sanctificantur ex tribus quæ inveniuntur vel fiunt in ecclesia materialiter quando consecratur.

1° Ex lotione, quia sicut ecclesia cum consecratur lavatur, ita et fideles loti sunt sanguine Christi.

2° Ex inunctione : quia sicut ecclesia inungitur, sic et fideles spirituali inunctione unguntur, ut sanctificentur ; alias non essent Christiani, Christus enim idem est quod unctus. Hæc autem unctio est gratia Spiritus sancti.

3° Ex inhabitatione ; nam ubicumque Deus inhabitat, locus ille sanctus est. *Domum tuam decet sanctitudo.*

4° Potest addi ex invocatione. Jer., 14, 9 : *Tu in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos.*

Cavendum est ergo ne post talem sanctificationem polluamus animam nostram quæ templum Dei est, per peccatum.

(*De Humanitate Christi.*)

1 *Octobris*

De amoris effectibus.

I. — Amor significat coaptationem quamdam appetitivæ virtutis ad aliquod bonum. Nihil autem quod coaptatur ad aliquid quod est sibi conveniens, ex hoc ipso læditur, sed magis, si sit possibile, perficitur et melioratur. Quod vero coaptatur ad aliquid quod non est sibi conveniens, ex hoc læditur et deterioratur. Amor ergo boni convenientis est perfectivus et meliorativus amantis ; amor autem boni quod non est conveniens amanti est læsivus et deteriorativus amantis.

Unde maxime homo perficitur et melioratur per amorem Dei ; læditur autem et deterioratur per amorem peccati, secundum illud Oseæ, 9, 10 : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Et hoc quidem sic dictum est de amore quantum ad id quod est formale in ipso, quod est scilicet ex parte appetitus.

II. — Quantum vero ad id quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, accedit quod amor sit læsivus propter

excessum immutationis ; sicut accidit in sensu et in omni actu virtutis animæ qui exercetur per aliquam immutationem organi corporalis.

III. — Ad ea vero quæ in contrarium objici possent, dicendum quod amori attribui possunt quatuor effectus proximi, scilicet liquefactio, fruitio, languor et fervor.

Inter quæ primum est liquefactio, quæ opponitur congelationi. Ea enim quæ sunt congelata, in seipsis constricta sunt, ut non possint de facili subintrationem alterius pati. Ad amorem autem pertinet quod appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante. Unde cordis congelatio vel duritia est dispositio repugnans amori. Sed *liquefactio* importat quamdam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile ut amatum in ipsum subintret.

Si ergo amatum fuerit præsens et habitum, causatur delectatio sive *fruitio* ; si autem fuerit absens, consequuntur duæ passiones, scilicet tristitia de absentia quæ significatur per *languorem*, et intensum desiderium de consecutione amati, quod significatur per *fervorem*.

Et isti quidem sunt effectus amoris formaliter accepti secundum habitudinem appetitivæ virtutis ad objectum, sed in passione amoris consequuntur aliqui effectus his proportionati secundum immutationem organi.

(1, 2, q. XXIX, a. v.)

2 Octobris

De Angelis custodibus.

Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ps. 90, 11.

1° Unaquæque anima ad sui custodiam habet angelum deputatum.

Homo enim in statu vitæ istius constitutus est quasi in quadam via qua debet tendere ad patriam. In qua quidem via multa pericula homini imminent tum ab interiori, tum ab exteriori, secundum illud Ps. 141, 4 : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Et ideo sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes, ita et cuilibet homini, quamdiu viator est, custos Angelus deputatur. Quando autem jam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit custodem, sed habebit in regno angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem.

2° Angelus deputatur homini ad custodiam a sua nativitate.

Ea enim quæ providentur homini a Deo, in

quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur ex quo nascendo talem naturam accipit, et tale beneficium est custodia angelorum. Unde statim a nativitate homo habet Angelum custodem : non vero ante nativitatem, quia puer, quamdiu est in materno utero, non totaliter est a matre separatus, sed per quamdam colligationem est quodammodo adhuc aliquid ejus, sicut et fructus pendens in arbore est aliquid arboris. Et ideo dici potest quod angelus qui est in custodia matris, custodiat prolem in matris utero existentem. Sed in nativitate, quando separatur a matre, Angelus ei ad custodiam deputatur.

3° Quomodo Angelus quandoque deserit hominem.

Custodia angelorum est quædam executio divinæ providentiæ circa homines. Manifestum est autem quod nec homo, nec res aliqua totaliter divinæ Providentiæ subtrahitur. Sed in tantum Deus secundum ordinem suæ Providentiæ dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit hominem pati aliquem defectum vel pœnæ vel culpæ. Similiter dicendum est quod Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem ; sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout non impedit quin subdatur alicui tribulationi vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum.

4° Angeli non dolent neque de peccatis, neque de pœnis hominum. Tristitia enim et dolor non est nisi de his quæ contrariantur voluntati. Nihil autem accidit in mundo quod sit contrarium voluntati angelorum et aliorum beatorum, quia voluntas eorum totaliter inhæret ordini divinæ justitiæ. Nihil autem fit in mundo nisi quod per divinam justitiam fit aut permittitur. Et ideo, simpliciter loquendo, nihil fit in mundo contra voluntatem beatorum. Quamvis igitur Angeli peccata et pœnas hominum, universaliter et absolute loquendo, non velint, volunt tamen quod circa hoc ordo divinæ justitiæ servetur, secundum quam quidam pœnis subduntur et peccare permittuntur. (1ª q. CXIII, a. IV-VII.)

3 Octobris

De signo veri amoris.

I. — *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Joan., 14.

Illa est vera dilectio quæ se prodit et probat

in opere ; nam per exhibitionem operis dilectio manifestatur. Cum enim diligere aliquem sit velle ei bonum et desiderare quæ ipse vult, non videtur vere diligere qui non facit voluntatem amati, nec exequitur quæ scit eum velle. Qui ergo non facit voluntatem Dei, non videtur eum vere diligere, et ideo dicit : *Qui habet mandata et servat ea, ille est qui diligit me*, id est qui habet veram dilectionem ad me.

Sed nota quod aliquis habet mandata Dei primo quidem in corde per memoriam et jugem meditationem. Sed hoc non sufficit, nisi servet in opere. Quidam vero habent in ore, dicendo et exhortando. Ps. 118, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !* Et hi etiam debent ea servare in opere, quia *qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Unde vituperantur a Deo illi qui dicunt et non faciunt. Quidam autem habent in aure, ea libenter et diligenter audiendo. *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Nec hoc sufficit, nisi servent, quia *non auditores legis, sed factores justificabuntur*. Rom., 2, 13. Ergo qui sic habet mandata Dei, aliqualiter servat ea, sed adhuc imponitur ei ut servet perseverando. Unde dicit Augustinus : Qui habet in memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo, qui habet faciendo et perseverando, ipse est qui diligit me.

II. — *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* Joan., 15.

Manere in ejus dilectione, hoc est servare ejus mandatum. Observatio enim mandatorum est effectus divinæ dilectionis non solum ejus qua nos diligimus, sed ejus qua ipse diligit nos. Ex hoc enim quod ipse diligit nos, movet nos et adjuvat ad implendum mandata ejus quæ impleri non possunt nisi per gratiam.

Et exemplum subdit dicens : *Sicut et ego Patris mei servavi.* Sicut enim dilectio qua Pater diligit eum, est exemplum dilectionis qua ipse diligit nos, ita voluit quod obedientia sua sit exemplum obedientiæ nostræ. Christus enim per hoc ostendit quod mansit in dilectione, Patris, quia per omnia mandata ejus servavit. Nam et mortem sustinuit. Phil., 2, 8 : *Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ab omni peccato abstinuit I Petr., 2, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Quæ intelligenda sunt de Christo secundum quod homo. *Quæ placita sunt ei facio semper.*

(*In Joan.*, XV.)

4 Octobris

De amicitia inter Deum et hominem per charitatem.

Jam non dicam vos servos, sed amicos meos. Joan., XV, 15.

I. — Charitas est amicitia. Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum aut equum, non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ. Ridiculum enim est dicere quod aliquis habeat amicitiam ad vinum vel ad equum.

Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione.

Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem opor-

tet aliquam amicitiam fundari. De qua communicatione dicitur I Cor., 1, 9 : *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum.

II. — Per charitatem convivimus Deo tanquam amico. Nihil enim est ita proprium amicitiæ sicut convivere amico. Duplex vero est hominis vita : una quidem exterior secundum naturam sensibilem et corporalem et secundum hanc vitam non est nobis communicatio vel conversatio cum Deo et angelis. Alia autem est vita hominis spiritualis secundum mentem, et secundum hanc vitam est nobis conversatio et cum Deo et cum Angelis, in præsenti quidem statu imperfecte, unde dicitur Phil., 3, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Sed ista conversatio perficietur in patria, quando *servi ejus servient Deo et videbunt faciem ejus.*

III. — Quod vero charitas habeatur etiam ad inimicos qui non redamant, secundum illud Matth., 5, 44 : *Diligite inimicos vestros*, hoc est quia si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercumque ei attinentes, et tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi qui ad

ipsum pertinent etiam si nos offendant vel odio habeant. Et hoc modo amicitia charitatis se extendit etiam ad inimicos quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia charitatis.

(2, 2, q. XXIII, a. 1.)

5 Octobris

De adhærendo Deo per amorem.

Qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo. I Joan., IV.

Iste effectus mutuæ inhæsionis potest intelligi et quantum ad vim apprehensivam et quantum ad vim appetitivam.

I. — Quantum ad vim apprehensivam, amatum dicitur esse in amante, in quantum amatum immoratur in apprehensione amantis, secundum illud Phil. 1 : *Eo quod habeam vos in corde.* Amans vero dicitur esse in amato secundum apprehensionem, in quantum amans non est contentus superficiali apprehensione amati, sed niti-

tur singula quæ ad amatum pertinent, intrinsecus disquirere, et sic ad interiora ejus ingreditur, sicut de Spiritu sancto qui est amor Dei, dicitur I Cor., II, quod *scrutatur etiam profunda Dei*.

II. — Quantum ad vim appetitivam, amatum dicitur esse in amante, prout est per quamdam complacentiam in ejus effectu ; ut vel delectetur in eo aut in bonis ejus, apud præsentiam ; vel in absentia per desiderium tendat in ipsum amatum per amorem concupiscentiæ vel in bona quæ vult amato, per amorem amicitiæ ; non quidem ex aliqua causa extrinseca, sicut cum aliquis desiderat aliquid propter alterum, vel cum aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud ; sed propter complacentiam amati interius radicatam. Unde et amor dicitur intimus et dicuntur viscera charitatis.

Econverso amans est in amato, aliter per amorem concupiscentiæ, aliter per amorem amicitiæ.

Amor namque concupiscentiæ non requiescit in quacumque extrinseca aut superficiali adeptione vel fruitione amati, sed quærit amatum perfecte habere, quasi ad intima illius perveniens. In amore vero amicitiæ amans est in amato, in quantum reputat bona vel mala amici sicut sua, et voluntatem amici sicut suam ; ut quasi ipse in suo amico videatur bona vel mala pati et affici.

Et propter hoc, proprium est amicorum eadem velle et in eodem tristari et gaudere. Ut sic, in quantum quæ sunt amici æstimat sua, amans videatur esse in amato, quasi idem factus amato. In quantum autem econverso vult et agit propter amicum sicut propter seipsum, quasi reputans amicum idem sibi, sic amatum est in amante.

Potest autem et tertio modo mutua inhæsio intelligi in amore amicitiæ secundum viam redamationis, in quantum mutuo se amant amici et sibi invicem bona volunt et operantur.

(1, 2, q. XXVIII. a. II.)

6 Octobris

De miro amoris privilegio.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. Joan., XIV.

Qui diligit me diligetur a Patre. Hoc in primo aspectu videtur absurdum. Numquid enim Deus diligit nos, quia diligimus eum? Absit : dicitur enim I Joan. 4, 10 : *Non quasi dilexerimus*

Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Dicendum est igitur quod ideo quis diligit Christum quia diligitur a Patre, et non ideo diligitur quia diligit. Diligimus ergo Filium, quia Pater diligit nos. Habet enim hoc verus amor ut amantis dilectionem trahat. Jer., 31, 3 : *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Sed quia amor Patris non est sine amore Filii, cum idem sit amor utriusque : *quæcumque enim Pater facit hæc et Filius similiter facit*, ideo subdit : *et ego diligam eum.*

Sed cum Pater et Filius omnia diligant ab æterno, quare dicit : *diligam*, in futuro ? Dicendum quod dilectio considerata prout est in divina voluntate, sic est æterna; sed considerata secundum quod manifestatur in executione operis et effectus, est temporalis, et ideo est sensus : *et ego diligam eum*, id est effectum dilectionis ostendam, quia scilicet *manifestabo ei meipsum* quia ad hoc diligam ut manifestem.

Sciendum est autem quod dilectio alicujus ad aliquem aliquando est secundum quid, aliquando simpliciter : secundum quid quando vult ei aliquod bonum particulare; simpliciter autem, quando vult ei omne bonum.

Deus autem omnia causata diligit secundum quid, quia omni creaturæ vult aliquod bonum, etiam ipsis dæmonibus, ut scilicet vivant et intelligant et sint : quæ sunt quidem bona. Simpli-

citer autem diligit illos quibus vult omne bonum, scilicet ut habeant ipsum Deum, quem habere est habere veritatem, quia Deus veritas est. Sed veritas tunc habetur quando cognoscitur.

Illos ergo vere et simpliciter diligit quibus manifestat seipsum, qui est veritas. Et hoc est quod dicit : *Manifestabo ei meipsum*, scilicet in futuro per gloriam, qui est ultimus futuræ beatitudinis effectus. Job., 36, 31 : *Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit*. Sap. 6, 14 : *Præoccupat eos qui se concupiscunt*.

(*In Joan.*, XIV.)

7 Octobris

De divina manifestatione ad diligentem.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Joan., XIV.

I. — Duo sunt quæ reddunt hominem idoneum ad Dei manifestationem, caritas et obedientia.

Quantum ad primum, dicit : *Si quis diligit me.* Tria enim necessaria sunt homini volenti Deum

videre. 1° Ut Deo appropinquet; 2° ut ad eum videndum oculos elevet. Isa., 40, 26 : *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc;* 3° ut visioni vacet. Nam spiritualia videri non possunt, nisi quis vacet a terrenis. Ps. 33, 9 : *Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus.*

Et hæc tria facit caritas. Nam ipsa animam homini Deo conjungit. I Joan., 4 : *Qui manet in caritate in Deo manet.* Ipsa ipsum intuitum ad Deum erigit. Matth. 6, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Unde dicitur : ubi est amor tuus, ibi oculus. Ipsa enim a mundanis vacare facit. I Joan., 12, 15 : *Qui diligit sæculum, non est perfecta caritas Dei in illo.* Ergo e contrario qui perfecte Deum diligit, non est in illo amor sæculi.

Ex caritate autem sequitur obedientia, unde dicit : *sermonem meum servabit.* Ut dicit Gregorius : « Probatio dilectionis exhibitio est operis. Nunquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna si est, si autem operari renuit, amor non est. » Quando ergo voluntas intensa est ad Deum qui est finis ejus, movet omnes vires ad faciendum ea quæ ad ipsum ducunt. Intenditur autem in Deum per caritatem, et ideo caritas est quæ nos servare mandata facit. Et per obedientiam homo efficitur idoneus ad videndum Deum. Ps. 118, 103 : *A mandatis tuis*, scilicet a me servatis, *intellexi.*

II. — Tria autem sunt per quæ fit homini divina manifestatio.

1° Divina dilectio, et quantum ad hoc dicit: *Pater meus diliget eum. Diliget* in futuro, quantum ad effectum dilectionis, qui tamen ab æterno dilexit quantum ad voluntatem benefaciendi.

2° Divina visitatio, et quantum ad hoc dicit: *et ad eum veniemus.* Venit vero in aliquem, in quantum est ibi novo modo, secundum quem prius non fuerat ibi, scilicet per effectum gratiæ, et per hunc effectum gratiæ facit nos ad se accedere.

Tribus autem modis Deus venit ad nos, et iisdem nos imus ad eum. Venit ad nos implendo suis effectibus, et nos imus ad eum capiendo ipsos. Venit illuminando, et nos imus ad eum considerando. Venit adjuvando, et nos imus ad eum obediendo, quia nec obedire possumus nisi adjuti a Christo.

3° Ad Dei manifestationem necessaria est perseverantia utriusque, scilicet in dilectione Dei et in ejus visitatione, et quantum ad hoc dicit: et *mansionem apud eum faciemus.* In quo duo tangit: firmitatem adhæsionis ad Deum cum dicit *mansionem.* Nam Deus venit ad quosdam per fidem, sed non manet, *quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt,* Ad quosdam

venit per peccati compunctionem, non tamen manet cum eis, quia revertuntur ad peccata. Sed in suis prædestinatis permanet semper. Secundo ostendit familiaritatem Christi ad homines, quia *apud eum*, scilicet diligentem, ad obediendum, in quantum scilicet delecta ur nobiscum, et facit nos delectari in ipso.

(*In Joan.*, XIV.)

8 Octobris

De via ad inveniendum Jesum.

I. — *Jesus declinavit a turba constituta in loco.* Joan., 5. Hoc dicit Scriptura ut det intelligere quod Christus non de facili invenitur in hominum multitudine et in turbine curarum temporalium, sed in spirituali secreto. Oseæ. 2, 14: *Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus.* Nam verba sapientum audiuntur in silentio. Vita spiritualis hominis in quiete spirituali consistit secundum illud Isa., 30, 15: *Si quieveritis, salvi eritis.*

Et postea invenit eum Jesus in templo. Joan.,

5. Duo ponit, modum inveniendi et locum. Modus quidem est mirabilis, quia non invenitur nisi inveniat. Unde dicit : *Invenit eum Jesus.* Nam homo sua virtute Christum invenire non potest, nisi ei se Christus præsentet. Locus autem in quo invenitur Christus est venerabilis quia in templo. Ps. 10, 5 : *Dominus in templo sancto suo.* Nam et mater ejus in templo eum invenit.

In quo datur intelligi quod homo ille quem Jesus invenit, non ad vanitatem, sed ad religionis studium conversus, templum frequentans, in ipso Christum cognovit : quia si ad conditoris cognitionem venire volumus, et fugienda est turba pravorum affectuum, et declinanda sunt malorum conventicula, et fugiendum est ad templum cordis nostri quod Deus invisere et habitare dignatur. (*In Joan.*, v.)

II. — *Redite* igitur, *prævaricatores, ad cor.* Isa., 46, 8.

Debet homo redire ad cor :

1° Quasi ad judicis solium, ut se discutiat. Ps. 76, 7 : *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum.*

2° Quasi ad vitæ principium, ut se custodiat. Prov. 4, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

3° Quasi ad divinæ locutionis auditorium, ut diligenter attendat. Oseæ, 2, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

4° Quasi ad divinorum eloquiorum thesaurum, ut ipsum conservet. Ps. 118, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

5° Quasi ad divinæ pacis et refectionis cœnaculum, propter cujus oppositum de quibusdam dicitur Ps. 27, 3 : *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

(*In Isa.*, 46, 8.)

III. — Sed forsitan hic esset dicendum : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis. Medius vestrum stetit,* id est in intellectu omnium relucet Filius Dei, sapientia divina, quia quidquid lucis et sapientiæ est in hominibus, provenit eis ex participatione Verbi. Et dicit *in medio*, quia in medio hominis corporaliter est cor, cui attribuitur quædam sapientia et intellectus. Unde licet intellectus non habeat organum corporale, tamen quia cor est principale organum, consuevit accipi pro intellectu. Unde *in medio* stare dicitur secundum hanc similitudinem, in quantum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Redite* igitur *ad cor*, id est ad intellectum. *Quem* tamen *vos nescitis*, quia *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.*

(*In Joan.*, 1.)

9 Octobris

De interna mentis illuminatione.

Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joan., XV.

I. — In quo consistit ista illuminatio. Verum amicitiæ signum est quod amicus amico suo cordis secreta revelet. Cum enim amicorum sit cor unum et anima una, non videtur amicus extra cor suum ponere quod amico revelat. Prov., 25, 9 : *Causam tuam tracta cum amico tuo.* Deus autem faciendo nos participes suæ sapientiæ, sua secreta nobis revelat. Sap., 7, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

Sed quomodo sit verum ? Si omnia discipulis nota fecit, sequitur quod tot sciebant quot et Filius ?

Dicendum secundum Chrysostomum : *Omnia quæcumque audivi*, quæ scilicet vos audire oportebat, *nota feci vobis*, non autem omnia simpliciter. *Multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo.*

Secundum Augustinum, Dominus propter certitudinem dicendorum utitur præterito pro futuro, ut sit sensus : *Omnia nota feci vobis*, id est faciam in plenitudine de qua dicit Apostolus : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum. In illo die palam de Patre meo annunciabo vobis*, quando scilicet introducet nos ad visionem Patris. Omnia enim quæ scit Filius, scit Pater. Quando ergo revelabit nobis Patrem, revelabit omnia quæ scit.

Secundum Gregorium, et melius : de divinis potest haberi duplex cognitio. Una imperfecta, et hæc habetur per fidem, quæ est prælibatio illius futuræ beatitudinis et cognitionis quam habebimus in patria. Unde de hac cognitione dicit : *Omnia nota feci vobis*, scilicet in fide, secundum quamdam prælibationem, sicut conclusiones virtute sunt in principiis. Unde dicit Gregorius : « Omnia quæ nota facit servis suis sunt gaudia internæ caritatis et festa supernæ patriæ, quæ quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit : dum enim audita superna cœlestia amamus, amata jam novimus : quia ipse amor notitia est. » (*In Joan.*, xv.)

II. — Sunt autem tria quæ disponunt ad internam mentis illustrationem.

Primum est in abstractione transitoriæ dulcedinis. Unde Isa., 28, 9 : *Quem docebit scientiam ? Et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatum*

a lacte, et avulsum ab uberibus, scilicet terrenæ consolationis vel delectationis. Unde super illud Joan., 1, 10 : *Mundus eum non cognovit*, dicit Chrysostomus : Mundum vocat homines qui soli mundo affixi sunt, et quæ mundi sunt sapiunt. Nihil autem ita turbat mentem, et liquefieri facit amore præsentium.

Secundum est in approximatione ad ipsum fontem luminis. Ps. 33, 6 : *Accedite ad eum et illuminamini*. Augustinus : Anima inter Deum et creaturas media posita, conversione ad Deum illuminatur, melioratur et perficitur : conversione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur.

Tertium consistit in interiori mentis dilatatione, quæ fit per conatum hominis ipsius. Unde in Ps. 80, 11 : *Dilata os tuum*, Glossa : « cordis », *et ego implebo illud ;* Glossa : pane vitæ et intellectus. Unde Augustinus dicit quod sicut Deus ingenita liberalitate replet omnes creaturas pro captu earum, sic per Christum Dei virtutem et Dei sapientiam veniunt nobis omnia bona, dum in ejus adventu gratificamur quoad modum essendi, consolamur quoad statum vivendi, illustramur quoad actum intelligendi.

(*De Humanit. Christi*, LXII.)

10 Octobris

De gaudio spirituali.

Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Phil. 4.

I. — Necessarium est cuilibet volenti proficere, quod habeat spirituale gaudium. Prov. 17 : *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Conditiones autem quatuor veri gaudii tangit Apostolus.

1° Quod debet esse rectum, quod est quando est de proprio bono hominis, quod non est quid creatum, sed Deus. Ps. 72 : *Mihi adhærere Deo bonum est.* Tunc autem rectum, quando in Domino. Ideo dicit : *in Domino.*

2° Continuum. Unde dicit *semper.* Quod fit quando non interrumpitur peccato ; tunc enim est continuum. Aliquando vero interrumpitur per tristitiam temporalem, quod significat imperfectionem gaudii. Cum enim quis perfecte gaudet,

non interrumpitur ejus gaudium, quia parum curat de re parum durante. Et ideo dicit *semper*.

3° Multiplicatum debet esse ; si enim gaudes de Deo, imminet tibi gaudere de ejus incarnatione. Luc., 1 : *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie salvator*. Item ut gaudeas de actione. Imminet etiam tibi gaudium de contemplatione. Sap. 8 : *Non habet amaritudinem conversatio illius*. Item si gaudes de bono proprio, imminet tibi gaudere similiter de bono aliorum. Item si de præsenti, imminet etiam de futuro. Et ideo dicit : *Iterum dico*.

4° Item debet esse moderatum, ne scilicet effluat per voluptates sicut facit gaudium mundi. Et ideo dicit : *Modestia vestra nota sit*. Quasi dicat : Ita sit moderatum gaudium vestrum quod non vertatur in dissolutionem. Prov. 12 : *Qui suavis est, vivit in moderationibus*. Et dicit : *nota sit omnibus hominibus*, quasi dicat : Vita vestra sic moderata sit in exterioribus, ut nullius offendat aspectum : impediret enim conversationem vestram.

II. — Deinde cum dicit : *Dominus enim prope est*, tangitur causa gaudii. Homo enim gaudet de propinquitate amici. Dominus quidem prope est præsentia majestatis. Act. 17 : *Non longe est ab unoquoque*. Item est prope propter propinquita-

tem carnis. Eph. 2 : *Qui eratis longe, facti estis prope.* Item est prope per inhabitantem gratiam. Jac., 4 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Item per exaudilionis clementiam. Ps. 144 : *Prope est Dominus invocantibus eum.* Item ad remunerandum. Isa., 14 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.*

(*In Philipp.*, IV.)

11 Octobris.

De pace.

Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. Phil., 3.

I. — Pax, secundum Augustinum est tranquillitas ordinis, perturbatio enim ordinis est destructio pacis. Hæc ordinis tranquillitas tripliciter consideratur, et ideo dicit : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*

1° Prout est in principio ordinis, scilicet in Deo. Ab isto profundo in quo est pax derivatur primo et perfectius in beatos, in quibus nulla est perturbatio, nec culpæ, nec pœnæ, et consequenter derivatur ad sanctos viros. Et quanto est magis sanctus, tanto minus patitur perturbationem mentis : *Pax multa diligentibus legem tuam*, sed perfecta est in beatis. Quia vero cor nostrum ab omni perturbatione non potest esse alienum nisi per Deum, oportet quod per ipsum fiat. Unde dicit *Dei*.

Et hoc secundum quod consideratur in ipso principio, scilicet in Deo, exsuperat omnem sensum creatum, quia I Tim. *Lucem habitat inaccessibilem*. Et secundum quod est in patria, superat omnem sensum Angelorum, sed secundum quod est in sanctis in via, exsuperat omnem sensum humanum non habentium gratiam. Apoc. 2 : *Vincenti dabo manna absconditum*.

2° Hæc ergo pax *custodiat corda vestra*, id est affectus vestros, ut in nullo declinetis a bono. Prov. 4 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*.

3° Item *intelligentias vestras*, scilicet ut in nullo devietis a vero. Et hoc *in Christo Jesu*, per cujus charitatem conservatur affectus a malo, et per cujus fidem intellectus perseverat in vero. (*In Phil.*, IV.)

II. — Pax est maximum bonum, quod patet ex eo quod Apostolus initio omnium epistolarum suarum semper et gratiam et pacem exoptat, dicens : *Gratia vobis et pax*. Gratia quidem est primum inter Dei dona, quia per eam justificatur impius. Pax vero est ultimum, quod in beatitudine perficitur. Ps. 147 : *Qui posuit fines tuos pacem*. Tunc enim erit perfecta pax quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni consequens immunitatem ab omni malo.(*In Rom.*, I).

Bona quæ optat Apostolus duo sunt, *gratia et pax*, in quibus omnia spiritualia includuntur. Primum est gratia, quæ est principium vitæ spiritualis, cui adscribitur remissio peccatorum, quæ est primum in vita spirituali. Nullus enim potest esse in vera vita spirituali, nisi prius moriatur peccato. Secundum vero bonum est pax, quæ est quietatio mentis in fine, quæ in glossa dicitur esse reconciliatio ad Deum. Et sic dum optat principium et finem omnium bonorum spiritualium, includit apostolus tanquam inter duo extrema desiderium omnis boni eis proveniendum. Ps. 8 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*.

(*In Gal.*, I.)

12 Octobris

De præparatione ad vitam contemplativam per virtutes morales.

I. — Essentialiter virtutes morales non pertinent ad vitam contemplativam, quia finis contemplativæ vitæ est consideratio veritatis, sed dispositive. Impeditur enim actus contemplationis in quo essentialiter consistit vita contemplativa, et per vehementiam passionum per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, et per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus.

Dicit Gregorius quod calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescit. Sed ad hoc nullus potest pervenire nisi per munditiam quam causat virtus moralis ; dicitur enim Matth., v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* : et Hebr., xii, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Sanctimonia quidem, id

est, munditia, causatur ex virtutibus quæ sunt circa passiones impedientes puritatem rationis; pax autem causatur ex justitia quæ est circa operationes, secundum illud Isa., XXXII, 17 : *Opus justitiæ pax*; in quantum ille qui ab injuriis aliorum abstinet, subtrahit litigiorum et tumultuum occasiones. Et sic virtutes morales disponunt ad vitam contemplativam, in quantum causant pacem et sanctimoniam. (2, 2, q. CLXXX, a. II.)

II. — Qui sunt apti ad vitam contemplativam.

Illi qui sunt proni ad passiones propter earum impetum ad agendum, sunt simpliciter magis apti ad vitam activam propter spiritus inquietudinem. Unde dicit Gregorius quod nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborant, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat.

Quidam vero habent naturaliter animi puritatem et quietem, per quam ad contemplationem sunt apti; qui si totaliter actionibus deputentur detrimentum sustinebunt. Unde Gregorius dicit quod quorumdam hominum ita otiosæ mentes sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbunt. Sed sicut ipse subdit : sæpe et pigras mentes amor ad opus excitat, et inquietas in contemplatione timor refrenat.

Unde et illi qui sunt magis apti ad activam vitam possunt per exercitium activæ ad contemplativam præparari ; et illi nihilominus qui sunt magis ad contemplativam apti, possunt exercitia vitæ activæ subire, ut per hoc ad contemplationem paratiores reddantur. (2, 2, q. CLXXXII, a, IV, 3^um.)

13 Octobris

De excellentia vitæ contemplativæ.

Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Luc. X, 43.

Vita contemplativa simpliciter melior est quam activa.

1° Convenit homini secundum illud quod est optimum in ipso, scilicet secundum intellectum et respectu propriorum objectorum, scilicet intelligibilium ; vita autem activa occupatur circa exteriora. Unde Rachel per quam significatur vita contemplativa, interpretatur *visum principium* ; vita autem activa significatur per Liam quæ erat lippis oculis.

2° Potest esse magis continua, licet non quantum ad summum contemplationis gradum, unde et Maria per quam significatur vita contemplativa, describitur secus pedes Domini assidue sedens.

3° Major est delectatio vitæ contemplativæ quam activæ ; unde Augustinus dicit quod Martha turbabatur, Maria epulabatur.

4° In vita contemplativa est homo magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget ; unde dicitur Luc., x, 41 : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.*

5° Vita contemplativa magis propter se diligitur, vita autem activa ad aliud ordinatur. Unde in Ps. 26, 4, dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.*

6° Consistit in quadam vacatione et quiete secundum illud Ps. 45, 2 : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.*

7° Vita contemplativa est secundum divina, vita autem activa est secundum humana. Unde Augustinus dicit : *In principio erat Verbum :* ecce quod Maria audiebat. *Verbum caro factum est* : Ecce cui Martha ministrabat.

8° Vita contemplativa est secundum id quod est magis proprium homini, secundum intellectum ; in operationibus autem vitæ activæ communicant etiam inferiores vires quæ sunt nobis et brutis communes.

9° Nonam rationem addit Dominus Luc., x, 43, cum dicit : *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* Quod exponens Augustinus dicit : Non tu malam, sed illa meliorem. Audi unde meliorem : quia non auferetur ab ea ; a te autem auferetur aliquando onus necessitatis ; æterna est dulcedo veritatis.

Secundum quid tamen et in casu est magis eligenda vita activa propter necessitatem præsentis vitæ ; sicut Philosophus dicit : Philosophari est melius quam ditari, sed ditari melius est necessitatem patienti.

(2, 2, q. CLXXXII, a. 1.)

14 Octobris

De quærenda beatitudine in vita cum Deo.

I. — Cum beatitudo notat quamdam ultimam perfectionem, necesse est quod diversimode beati-

tudo dicatur, secundum quod attinguntur diversi gradus perfectionis.

Nam in Deo est beatitudo per essentiam, quia ipsum esse ejus est operatio ejus, quia non fruitur alio, sed seipso.

In Angelis beatitudo est ultima perfectio secundum aliquam operationem qua conjunguntur bono increato, et hæc operatio est in eis unica et sempiterna.

In hominibus autem secundum statum præsentis vitæ est ultima perfectio secundum operationem qua homo conjungitur Deo. Sed hæc operatio nec sempiterna nec continua esse potest, et per consequens nec unica est, quia operatio interscissione multiplicatur, et propter hoc in statu præsentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non potest. Sed promittitur nobis a Deo beatitudo perfecta, quando *erimus sicut Angeli in cœlo.* Tunc enim una et continua et sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo conjungitur.

Sed in præsenti vita quantum deficimus ab unitate et continuitate talis operationis, tantum deficimus a beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis; et quanto operatio potest esse magis continua et una, tanto plus habet rationem beatitudinis.

Et ideo in activa vita, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis quam in vita contemplativa, quæ versatur circa unum, id

est circa veritatis contemplationem. Et si aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari : et quia etiam ipsam cessationem, puta somni vel occupationis alicujus naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse. (1, 2, q. III, a. II, 4um.)

II. — Vita cum Deo, seu contemplatio, delectationem habet. Contemplatio enim potest esse delectabilis ratione ipsius operationis, quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam. Redditur etiam delectabilis ex parte objecti, in quantum aliquis rem amatam contemplatur. Sicut etiam accidit in visione corporali quæ delectabilis redditur non solum ex eo quod ipsum videre est delectabile, sed etiam ex eo quod videt quis personam amatam.

Quia ergo vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius amoris. Et quantum ad utrumque ejus delectatio omnem delectationem humanam excedit. Nam et delectatio spiritualis potior est quam carnalis, et ipse amor quo ex charitate Deus diligitur omnem amorem excedit. Unde et in Ps. 33, 6, dicitur : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*. (2, 2, q. CLXXX, a. VII),

15 Octobris

De merito vitæ contemplativæ.

Radix merendi est charitas. Cum autem charitas consistat in dilectione Dei et proximi, Deum diligere secundum se est magis meritorium quam diligere proximum. Et ideo illud quod directius pertinet ad dilectionem Dei, magis est meritorium ex suo genere quam id quod directe pertinet ad dilectionem proximi propter Deum.

Vita autem contemplativa directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei. Dicit enim Augustinus quod otium sanctum scilicet contemplativæ vitæ quærit charitas veritatis, scilicet divinæ, cui potissime vita contemplativa insistit. Vita autem activa directius ordinatur ad dilectionem proximi, quia *satagit circa frequens ministerium*. Et ideo ex suo genere contemplativa vita est majoris meriti quam activa. Et hoc est quod Gregorius dicit: Contemplativa major est merito quam activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, in quo necesse est proximis subvenire ; illa vero sapore in-

timo venturam jam requiem degustat, scilicet in contemplatione Dei.

Potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur quam alius in operibus vitæ contemplativæ ; puta, si propter abundantiam divini amoris, ut ejus voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinæ contemplationis ad tempus separari ; sicut Apostolus dicebat : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Quod exponens Chrysostomus dicit : Ita totam mentem ejus demerserat amor Christi, ut etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo contemneret.

Sacrificium quidem spiritualiter Deo offertur, cum aliquid ei exhibetur. Inter omnia autem bona hominis Deus maxime acceptat bonum humanæ animæ, ut hoc sibi in sacrificium offeratur. Offerre autem debet aliquis Deo, primo quidem animam suam ; secundo autem animas aliorum, secundum illud Apoc. : *Qui audit, dicat : Veni.* Quanto autem homo animam suam vel alterius propinquius Deo conjungit, tanto sacrificium est Deo magis acceptum. Unde magis acceptum est Deo quod aliquis animam suam et aliorum applicet contemplationi quam actioni. Per hoc ergo quod dicitur quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum quam zelus animarum, non præfer-

tur meritum vitæ activæ merito vitæ contemplativæ, sed ostenditur magis esse meritorium si quis offerat Deo animam suam et aliorum, quam quæcumque alia exteriora bona.

(2, 2, q. CLXXXII, a. II.)

16 Octobris

De videndis in contemplatione.

Quod vides scribe in libro. Apoc., I, 11.

I. — Multa debet homo videre in contemplatione : scilicet peccata sua, supplicia inferni, gaudia paradisi, beneficia Christi, necessitates proximi, et omnia scribere in libro cordis sui.

Circa peccata debet homo videre quam brevis est ibi delectatio et pœna æterna. Gregorius : Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Item quam vilis sit. Jer., II : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Item quam damnosa ; quia diminuit bona naturæ, privat bonis gratiæ, aufert bona gloriæ. Thren., II : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.*

Circa supplicia inferni debet videre diversita-

tem, acerbitatem, æternitatem. De primo : *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* De secundo Matth., 8 : *Ibi erit fletus et stridor dentium.* De tertio, Isa. : *Ignis eorum non extinguetur. Ite in ignem æternum.*

Circa gaudia paradisi debet videre puritatem, plenitudinem, longitudinem. De primo Prov. 15 : *Gaudio ejus non miscetur extraneus ;* de secundo Joan., 12 : *Et gaudium vestrum plenum sit ;* de tertio : *Iterum videbo vos, ut gaudium vestrum nemo tollat a vobis.*

Circa beneficia Christi debet videre multitudinem : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* magnitudinem : *Fecit mihi magna qui potens est,* Luc., 1 ; gratitudinem : Matth., x, : *Gratis accepistis, gratis date.*

Circa necessitates proximi debet videre quid vellet sibi fieri si esset in illo statu et quanta sit fragilitas hominis. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines,* etc.

Item quæ vides in Christo, in mundo, in proximo tuo, scribe id est corde tuo.

(*In Apoc.*, 1.)

II. — Nota super illo verbo *Contemplare in specula* quia debet homo in specula mentis contemplari :

1° Peccata quæ commisit ut doleat. Jer., xxxi, 21 : *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.*

2° Supplicia quæ meruit, ut timeat. Mich., VII, 4 : *Visitatio tua venit.*

3° Beneficia quæ Deus contulit, ut gratias agat.

4° Mandata quæ præcepit, ut impleat.

5° Præmia quæ promisit ut comprehendat. II Petr., I, 16 : *Speculatores facti illius magnitudinis.*

(*In Isa.*, XXI.)

17 Octobris

De manna abscondito.

Vincenti dabo manna absconditum. Apoc., II, 17.

1° Est mirabile hoc manna, Dupliciter exponi potest vel de dulcedine interna quæ dabitur sanctis in hac vita, vel de dulcedine æterna quæ dabitur sanctis in futura vita. Utraque tanta est ut

omnis qui sentit dicat : Quid est hoc ? Et utraque abscondita est, quia parum et paucis datur sentire aliquid de ipsa. Et bene per manna significatur dulcedo contemplationis propter saporis suavitatem. Ps. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus ; beatus vir qui sperat in eo*, id est qui totam spem suam figit in eo ; quia tali datur sentire suavitatem Dei, quæ quantumcumque modicum sentiatur, miratur anima, ut merito dicat : Manu, quid est hoc ?

Nullus enim potest comprehendere internam dulcedinem quantumcumque sit accensum ejus desiderium ; ut merito dicat Psal : *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et iterum : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Quasi dicat : Ex hoc scio quod tabernacula tua, id est mansiones tuæ domus sunt amabiles et desiderabiles, quia ego qui adhuc sum foris in atrio, nondum intus in templo, tam vehementer concupisco morari hic juxta ; sed concupiscendo deficio non valens comprehendere quod est ibi. Si hoc igitur modicum dulcedinis tuæ quam das in atrio non possum capere, quis capiet illud totum quod est in templo ?

2° Ubi invenitur. Exod., 16 : *Egrediatur populus et colligat quod sufficit per singulos dies.* Qui vult hanc suavitatem, debet egredi de mundo ad cœlum, de carne ad spiritum, de se in Deum, et tunc inveniet manna. Joel., 3 : *Stilla-*

bunt montes dulcedinem. Tres montes sunt, spiritus, cœlum et Deus. Et in iis debet homo colligere manna contemplando singula eorum bona; et debet colligere per singulos dies, quia quolibet die debet vacare orationi et meditationi.

Debet autem colligere quantum sufficit. Quidam enim parum colligunt, quia parum orant et parum meditantur. Alii nimis. Ideo dicitur Prov., 26 : *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.*

Locus vero ubi invenitur manna est solitudo. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Non autem invenitur in civitate.

Item mane inveniebatur; mane frequenter in oratione datur devotio. Ps: *Mane astabo et videbo.* Prov. 8 : *Qui mane vigilaverint ad me, nvenient me.*

Item datur egressis de Ægypto, et devotio egressis de peccato.

Quidam inveniunt Deum solummodo dulcem in oratione; quidam tantum in lectione; quidam tantum in celebratione. Sed perfecti inveniunt eum dulcem et suavem in omnibus, et in jejuniis et disciplinis, et etiam in infirmitate et paupertate, secundum illud Eccl., 24 : *In omnibus requiem quæsivi* ad modum apis, quæ fere ex omni flore extrahit mel. Unde Dominus dicit de talibus : *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis;* quia quanto plus anima sentit de Deo, tanto amplius ardet in eo.

(*In Apoc.*, II.)

18 Octobris

De refectione spirituali.

Refectio spiritualis in duobus consistit, scilicet in donis Dei et in ejus dulcedine.

1° Primum in hoc verbo notatur : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Domus est Ecclesia. Et hæc domus quæ modo est in terris, quandoque transferetur in cœlis. In utraque autem est ubertas donorum Dei, sed in hac ecclesia est imperfecta, in alia vero est perfectissima abundantia omnium bonorum, et hac satiantur spirituales viri. Ps. 64 : *Replebimur in bonis domus tuæ.* Et quod plus est, inebriantur, in quantum supra omnem mensuram meriti desideria implentur. Ebrietas enim excessus quidam est. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Cant. 5 : *Inebriamini, charissimi.* Et qui sunt ebrii, non in se sunt, sed extra se. Sic repleti sunt spiritualibus charismatibus, tota eorum intentio fertur in Deum. Phil. : *Nostra conversatio in cœlis est.*

2° Non solum donis reficientur, sed etiam dul-

cedine Dei. Job. 22 : *Tunc super omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.* Et ideo dicit quantum ad secundum : *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hic est amor Spiritus sancti, qui facit impetum in anima, sicut torrens. Isa., 59 : *Quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit.* Et dicitur *voluptatis*, quia voluptatem et dulcedinem in anima facit. Sap. 12 : *O quam bonus et suavis est spiritus tuus, Domine, in nobis.* Et hoc potu potantur boni. I Cor., 10 : *Eumdem potum spiritualem biberunt.* Vel *torrente voluptatis tuæ*, scilicet Dei, quæ dicitur torrens. Prov., 8 : Torrens redundans fons sapientiæ, quia voluntas ejus sic efficax est, ut ei resisti non possit, sicut nec torrenti.

3° *Quoniam apud te est fons vitæ.* Materia talis refectionis est, quia qui conjunguntur fonti et qui tenent os suum ad fontem vini, inebriantur, sic qui tenent os suum, id est, desiderium ad fontem vitæ et dulcedinis, inebriantur. Et sic inebriantur, quia *apud te est fons vitæ.* Si referatur ad Christum, sic est sensus : *Apud te*, id est, tu es fons vitæ. Si referatur ad Patrem, sic est sensus : *Apud te est fons vitæ*, id est verbum tuum vivificans omnia, est apud te. Jer. 2 : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Qui vere est fons vitæ, id est spiritualium bonorum, ex quibus omnia vivificantur.

(In Ps. xxxv.)

19 Octobris

De suavi experientia divinæ bonitatis.

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Ps. 33.

Exhortatur Psalmista ad experientiam divini consortii. Et circa hoc duo facit ; primo hortatur ad experiendum, secundo ponit experientiæ effectus.

I. — Dicit ergo *gustate.* Experientia de re sumitur per sensum ; sed aliter de re præsenti, et aliter de absente ; quia de absente per visum, odoratum et auditum ; de præsente vero per tactum et gustum ; sed per tactum de extrinseca præsente, per gustum vero de intrinseca. Deus autem non longe est a nobis, nec extra nos, sed in nobis. Jer., 14 : *Tu in nobis es Domine.* Et ideo experientia divinæ bonitatis dicitur gustatio. I Petr. II, 3 : *Si tamen gustatis quoniam dulcis.* Prov : *Gustavit et vidit, quoniam bona est negotiatio ejus.*

II. — Effectus autem experientiæ ponitur du-

plex. Unus est certitudo intellectus, alius securitas affectus. Quantum ad primum dicit : *Et videte.* In corporalibus prius videtur et postea gustatur, sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur, quia nullus cognoscit qui non gustat ; et ideo dicit prius *gustate*, et postea *videte.*

Quantum ad secundum dicit : *Quoniam suavis est Dominus.* Sap. 12 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis.* Ps. xxx, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ !* Et postea : *Beatus vir qui sperat in eo.* Isa., xxx, 18 : *Beati omnes qui expectant eum.*

(In Ps. xxxiii.)

III. — Quando igitur dicitur : *Gustate et videte.* Ps. 33 et Rom., xii, 2 : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta*, hoc non dicitur ut exploremus quasi dubitando ; hoc enim esset tentare Deum. Nam duplex est cognitio divinæ bonitatis vel voluntatis : una quidem speculativa et quantum ad hanc non licet dubitare nec probare, utrum Dei voluntas sit bona, vel utrum Deus sit suavis ; alia autem est cognitio divinæ voluntatis sive bonitatis effectiva sive experimentalis, dum quis experitur in seipso gustum divinæ dulcedinis et complacentiam divinæ voluntatis, sicut de Hierotheo dicit Dionysius quod didicit divina ex compassione ad illa. Et hoc modo monemur ut probemus Dei voluntа-

tem et gustemus ejus suavitatem. (2, 2, q. XCVII, a. II, 2um.)

20 Octobris

De adventu divini solatii.

Augustinus dicit : « Quis dabit mihi ut venias in cor meum et inebries illud, et obliviscar mala, et unum bonum meum amplectar te. » Sunt autem tria quæ disponunt ad hunc adventum.

1° Contemptus terrenæ voluptatis. Unde Col. 3, 2 : *Quæ sursum sunt sapite*, quasi diceret : Non potestis cœlestia simul et terrestria sapere. Bernardus ; Errat omnino, si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, carismata illa Spiritus sancti miscere posse hujus mundi illecebris arbitratur. Putas te illum meracissimum spiritum posse suscipere, nisi carneis istis consolationibus renuntiaveris? Revera cum inceperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua vertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, et renova-

bitur voluntas ; ut omnia quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate.

2° Devota meditatio divinæ voluntatis. Ps. 76, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Bernardus : « Non deerit electis consolatio de memoria Dei, quibus nondum plena refectio indulgetur. » Sed præcipue bonitas Dei exhibita in homine Christo recogitantem delectat. Unde super illud Ps. 76, 12 : *memor ero ab initio mirabilium tuorum*, dicit Glossa : id est, quæ indulsit Deus humano generi ab initio, scilicet quod Adam ad imaginem suam fecit, quod Abel hostiam accepit ; similiter de Noe fecit, in cujus arca diversa animalia in mysterium Ecclesiæ servavit ; quod de Abraham fecit, cujus oblatione Christi filii sui incarnationem et passionem designavit, tandem quod ipse Dominus venit, hæc sunt quæ virum sanctum delectant.

3° Fervens desiderium caritatis. Unde Bernardus tractans illud Ps. 96, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit*, dicit : Oportet ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam ad quam ipse venturus est, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, et sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quia juxta est Dominus, cum senserit se illo igne succensam. Idem spiritus Dei est et concupiscit decorem illius

animæ, quam fortiter advertit in spiritu ambulantem, et curam carnis non perficientem in desiderio, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Tali animæ frequenter suspiranti imo sine intermissione oranti, et se afflictanti præ desiderio interdum desideratus ille miseratus occurrit. Ergo quisquis ita est vir desiderii, ut cupiat dissolvi et esse cum Christo, cupiat vehementer, sitiat ardenter, assidue meditetur ; is profecto suscipiet Deum.

(*De Humanitate Christi.*)

21 Octobris

De quatuor quibus dæmones contemplationem impediunt.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Ps. 90.

Hic tanguntur quatuor quibus dæmones infestant frequenter animas intentas contemplationi, a quibus liberat lumen veritatis infusum.

1° Timor nocturnus est error vel horror quem in recessu suo solet diabolus relinquere. Dicit Gregorius quod revelatione diaboli primo recipit anima quamdam lætitiam, et in fine habet horrorem. In revelatione autem Dei fit e contrario. Unde B. Virgo primo turbata fuit in Angeli salutatione, postea est consolata.

2° Sagitta volans est vana gloria, quia velociter et suaviter intrat, sed graviter vulnerat. Hæc sæpe infestat et decipit contemplantes. Isa., 1 : *Vinum tuum mixtum est aqua*, vel secundum aliam litteram : *caupones tui miscuerè aquam vino*. Vinum est revelatio Dei quæ lætificat cor. Aqua est vana gloria quæ inflat. Aquam ergo vino miscent, qui de revelatione sibi facta inaniter gaudent.

3° Negotium perambulans in tenebris est sollicitudo sive cura rei familiaris, cujus cogitationes orantibus et meditantibus sæpe diabolus immittit, ut sic retrahat a contemplatione et subtrahat eis refectionem ejus.

4° Incursus et dæmonium meridianum est illusio diaboli sub specie boni, ut aliquando suggerit vigilare, jejunare, orare, plorare diu, quando videt aliquem novitium devotum, ut debilitatum et deficientem subtrahat a Dei obsequio, vel faciat pœnitere de bono quod incepit.

Ideo Dominus dicit Luc., 19, Zachæo qui super ficum fatuam ascenderat ut eum videret : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ficus fatua est indiscreta devotio in qua quando aliquis novitius vult nimis ascendere, dicit ei Jesus : Noli nimis ascendere, sed cito descende, quia tecum volo non solum esse, sed diu manere.

(*In Apoc.* c. 1.)

22 Octobris

De familiaritate divina.

Et habitavit in nobis. Joan., 1.

Hic agitur de Verbi incarnati conversatione. *Habitavit in nobis*, id est inter nos apostolos conversatus est familiariter, secundum quod dicit Petrus, Act. 1, 21 : *In omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus.* Baruch., IV, 38 : *Post hæc in terris visus est.*

Hoc autem addit Evangelista ut ostendat mirabilem conformitatem Verbi ad homines, inter quos sic conversatus est ut videretur quasi unus ex eis.

Non solum enim in natura voluit assimilari hominibus, sed etiam in convictu et familiari conversatione absque peccato cum eis voluit esse simul, ut sic homines suæ conversationis dulcedine allectos traheret ad seipsum.

Equidem dicebat ipse Jesus *quia Propheta in sua patria honorem non habet.* Et hoc verbum Domini verificatur non solum in prophetis apud Judæos, sed etiam, ut Origenes dicit, in pluribus apud gentiles quia a suis civibus sunt habiti contemptui et ad mortem deducti. Nam consueta conversatio cum hominibus et nimia familiaritas reverentiam minuit, et contemptum parit. Et ideo quos familiares magis habemus, minus revereri consuevimus, et quos familiares habere non possumus, magis reputamus.

Cujus vero contrarium contingit de Deo. Nam quanto aliquis Deo per amorem et contemplationem familiarior efficitur, tanto eum excellentiorem reputans magis reveretur, et seipsum minorem reputat. Job. XLII, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te ; idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.*

Et hujus ratio est, quia in homine cum sit infirmæ et fragilis naturæ, quando cum alio diu conversatur, cognoscit in eo aliqua infirma, et ex hoc diminuitur reverentia ejus ad eum. Sed cum Deus sit immense perfectus, quanto plus homo in cognitione ejus proficit, tanto magis perfectionis

ejus excellentiam admiratur, et ex hoc eum magis reveretur.

(*In Joan.*, c. IV.)

23 Octobris

De modo addiscendi secreta divina.

I. — *Innuit huic Simon Petrus et dixit ei : Quis est de quo dicit ? Joan.* XIII.

Petrus vult scire de quo dicebat Dominus : *Unus ex vobis tradet me.* Cum vero ubique in Evangeliis semper audax et primus ad respondendum propter amoris fervorem inveniatur, quid est quod hic tacet ? Quid est quod alteri interrogationem committit ? Ratio est triplex, secundum Chrysostomum : 1° Cum reprehensus erat a Domino de hoc quod lavari sibi pedes non patiebatur, dubitabat nunc de hoc Dominum molestare ; 2° Petrus nolebat quod Dominus hoc publice manifestaret, ita quod alii possent audire. Unde quia ipse remotus erat a Christo, Joannem qui proximus erat Christo, ad interrogandum excitat.

3° Hoc habet rationem mysticam. Per Joannem

enim contemplativa ; per Petrum activa vita signatur. Petrus vero mediante Joanne instruitur a Christo : quia vita activa de divinis instruitur mediante contemplativa. Maria enim sedens secus pedes Domini audiebat verba illius, sed Martha satagebat circa frequens ministerium. Luc., x, 39.

II. — *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est ?*

Notand im quod cum Petrus innuit ut interrogaret, recumbebat Joannes in sinu Jesu ; nunc vero eum interrogat Joannes, qui supra pectus ejus recumbit. Pectus enim vicinius est ori quam sinus. Joannes ergo secretius audire volens responsum, et magis silenter, de sinu conscendit ad pectus.

Mystice autem per hoc datur intelligi, quod quanto magis homo vult divinæ sapientiæ secreta capere, tanto magis conari debet, ut propinquior fiat Jesu, secundum illud Ps. 33, 6 : *Accedite ad eum et illuminamini.* Nam divinæ sapientiæ secreta illis præcipue revelantur qui Deo juncti sunt per amorem. Job., xxxvi, 33 : *Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit.* Prov., xviii, 17 : *Venit amicus ejus et investigavit eum.*

(*In Joan.*, xiii.)

24 Octobris

De contemplationis effectibus.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. I.

1° *Introduxit me in cellaria sua* id est in dulcedinem suam, dando mihi gratiam suam. Dicitur autem gratia *cellaria* in plurali, quia ab ea fluunt et derivantur singulæ virtutes spirituales perficientes diversas potentias; et secundum diversas virtutes diversarum potentiarum diversimode lætamur et gaudemus in Domino. Et perfecti secundum tales virtutes derivatas a gratia, quodammodo potamus vina spiritualis lætitiæ de diversis cellariis. (*In Cant.* I.)

2° Contemplatio tristitias mitigat.

In contemplatione enim veritatis maxima delectatio consistit. Omnis autem delectatio dolorem mitigat, et ideo contemplatio mitigat tristitiam vel dolorem, et tanto magis, quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ.

Et ideo homines ex contemplatione divinorum

et futuræ beatitudinis in tribulationibus gaudent, secundum illud Jacobi, I, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et quod est amplius, etiam inter corporis cruciatus gaudium hujusmodi invenitur, sicut Tiburtius martyr, cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, dixit : Videtur mihi quod super roseos flores incedam in nomine Jesu Christi.

Et hoc evenit quia in viribus animæ fit redundantia a superiori ad inferius ; et secundum hoc delectatio contemplationis, quæ est in superiori parte, redundat ad mitigandum etiam dolorem qui est in sensu. (1, 2, q. XXXVIII, a. IV.)

3° Facit dormire affectum circa temporalia.

Ego dormio et cor meum vigilat. Viri enim contemplativi dicuntur dormire, quia quiescunt a sensibilibus et exterioribus, tamen secundum cor vigilant, quia magis sunt apti ad percipiendum intrinsecus inspirationes et divinos fluxus. Quia, sicut cæci non intenti visibilibus, melius memorantur, sic viri contemplativi non intenti exterioribus, magis percipiunt interiores inspirationes.

4° Auget et roborat affectum erga Deum.

Fortis est ut mors dilectio. Sicut enim mors animam a corpore separat, ut jam nihil concupiscere, nihil in præsenti vita homini liceat ambire, ita dilectio Christi, quem vere pervaserit,

totum sæculo huic mortificat et quasi insensibilem reddit, solumque Christo vivens, mundo mortuus est. Et idem sensus cum dicit : *Dura sicut infernus æmulatio.* Nam, sicut infernus, eos quos semel recipit, nunquam restituit, sed semper retinet, ita verus Christi amor, quem semel receperit, nunquam dimittit. Unde Apostolus dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an fames, an angustia, an gladius?*

(*In Cant.*)

25 Octobris

De modo revocandi divinam dulcedinem amissam.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Cant. III.

1° Debet homo scrutari conscientiam suam.

Exteriores sollicitudines ita animam occupant, quod quando vult redire ad conscientiam, multoties invenit se deficere ab illa dulcedine quam prius habebat. Quando autem homo est in mente

distractus, et non potest gustare illam dulcedinem quam prius sensit, debet reverti ad intima cordis sui, inquirendo Christum. Unde quærit in lectulo suo, id est in conscientia, et non invenit : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum et non inveni.* Et quandocumque hoc ei contingit, debet surgere et eum quærere, utrum scilicet aliquid concupierit vel egerit quod Christo displicuerit, propter quod sentiat se distractum in conscientia.

Et modus quærendi hic notatur : *Surgam et circuibo civitatem per vicos et plateas.* Rediens scilicet ad conscientiam, quæsivi Chr stum et non inveni. Unde, ut eum inveniam, adhuc quæram, *surgam et circuibo civitatem,* id est per actualem considerationem perquiram conscientiam meam, et *per vicos et plateas*, id est per omnia dicta, desiderata et facta quæ egi, dixi et concupivi, utrum aliquid egerim quod displicuerit ei, et sic faciendo, Christum *quæram quem diligit anima mea.* Nam si quis post actionem non potest redire ad dulcedinem contemplationis, debet cogitare quod forte in aliquo deliquit, propter quod solitam dulcedinem non sentit. Et ideo debet civitatem, id est conscientiam, totaliter scrutari.

Notandum autem conscientiam esse lectulum in quo Christus requiescit, quia stratum coangustatum est, ubi non potest jacere nisi unus, scilicet Christus vel diabolus. Sed si consideremus conscientiam et cor nostrum quantum ad genera pec-

catorum quæ ibi esse possunt, sic est civitas distincta per vicos et plateas, id est per delicta majora et per minora.

II. — Debet in se revocare memoriam divinæ dulcedinis.

Cum a statu actionis quis ad contemplationem redit, si Christum non invenit, inter cætera quæ stimulant ipsum ut Christum quærat, est memoria amissæ dulcedinis. Nam cum homo sentit se aliquando in oratione gustare divinam dulcedinem, si postea ad orationem rediens, non potest tantam sentire dulcedinem quantam prius, ex memoria talis dulcedinis stimulatur ad discutiendum suas cogitationes et affectiones, utrum secundum eas displicuerit Christo, ut possit invenire causam quare nunc non possit sentire illam dulcedinem.

III. — Debet elongare vanas cogitationes. Tales cogitationes dicuntur *vigiles civitatis*, quia semper sunt paratæ ad capiendum et occupandum nos. Sed debemus eas derelinquere, quia in talibus cogitationibus non invenitur Christus. Imo dicemus : *percusserunt me, vulneraverunt me et tulerunt pallium meum mihi*. Nos autem percutiunt quando eis damus aditum ; nos vulnerant quando in eis delectamur ; sed et nobis accipiunt pallium nostrum, expoliando nos virtutibus et donis, quando eis consentimus.

(*In Cant.*, III et V.)

26 Octobris

De perfectione christianæ vitæ.

Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis. Col. III, 14.

I. — Unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est quæ unit nos Deo qui est ultimus finis humanæ mentis, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ.

Simpliciter homo perfectus dicitur in vita spirituali, ratione ejus in quo principaliter spiritualis vita consistit, sed secundum quid perfectus dici potest, ratione cujuscumque quod spirituali vitæ adjungitur. Consistit autem principaliter spiritualis vita in charitate, quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur. Unde Apost. I Cor., XIII, dicit : *Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam,*

charitatem autem non habuero, nihil sum. Beatus etiam Joan. Apost. totam vitam spiritualem in dilectione consistere asserit, dicens, I Joan., III, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus. Qui non diligit, manet in morte.* Simpliciter ergo in spirituali vita perfectus est qui est in charitate perfectus.

II. — Secundum quid autem perfectus dici potest secundum quodcumque quod spirituali vitæ adjungitur. Quod evidenter ex verbis sacræ scripturæ ostendi potest. Apost. enim Col. III, 14, perfectionem principaliter charitati attribuit ; enumeratis enim multis virtutibus scilicet misericordia, benignitate et humilitate, etc., iterum subdit : *Super omnia autem hæc, charitatem habete quæ est vinculum perfectionis*, quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam.

Sed et secundum intellectus cognitionem aliqui dicuntur esse perfecti : *Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia*, cum tamen, quantumcumque aliquis habeat perfectam scientiam sine charitate, nihil esse judicetur.

Sic etiam et perfectus aliquis dici potest secundum *patientiam quæ opus perfectum habet* et secundum quascumque alias virtutes.

(*De perfectione vitæ spir.*, c. I.)

27 Octobris

De perfectione quæ est de necessitate salutis.

Creatura rationalis debet secundum suam totam virtutem diligere Deum. Dicitur enim Deut., VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua.* Deum vero diligemus ex toto corde, mente, anima et fortitudine, si nihil nobis desit ad divinam dilectionem quod actu vel habitu in Deum non referamus. Et hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto :

1° Ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut Apost. dicit I Cor., X, 31 : *Sive manducatis sive bibitis vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod quidem impletur, cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, et per consequens omnia quæ per seipsum agit virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quæ a Deo abducant, sicut sunt peccata, et sic Deum diligit homo ex toto corde.

2° Ut intellectum suum homo Deo subjiciat, ea credens quæ divinitus traduntur, secundum illud Apostoli II Cor., x, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ;* et sic Deus diligitur ex tota mente.

3° Ut quæcumque homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat. Unde dicebat Apost., II Cor., v, 13 : *Sive enim mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos ;* et sic Deus ex tota anima diligitur.

4° Ut omnia exteriora nostra, verba et opera ex divina charitate firmentur, secundum illud Apost. I Cor., ult. 14 : *Omnia enim vestra in charitate fiant*, et sic Deus ex tota fortitudine diligitur.

Hic est perfectæ dilectionis divinæ modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur.

(*De perfectione vitæ spir.*, c. v.)

28 Octobris

De perfectione quæ cadit sub consilio.

I. — Perfectio quæ cadit sub consilio est illa quæ tendit in similitudinem perfectionis beato-

rum. Dicitur Deut., VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua*, et Lucæ additur *ex omni mente tua*, ut cor referatur ad intentionem, mens ad cognitionem, anima ad affectum, fortitudo ad executionem. Cum totum et perfectum sit, cui nihil deest, ex toto corde et anima et fortitudine et mente Deus diligetur, si nihil in his omnibus nobis desit, quin totum actualiter convertatur in Deum ; sed hic modus perfectæ dilectionis non est viatorum, sed beatorum.

In illa enim cœlesti beatitudine semper actualiter intellectus et voluntas creaturæ rationalis in Deum fertur, cum in divina fruitione beatitudo consistat ; beatitudo autem non est in habitu, sed in actu. Et quia Deo creatura rationalis inhærebit tanquam ultimo fini, qui est veritas summa, in finem autem ultimum omnia per intentionem referuntur, et secundum ultimum finem omnia exsequenda disponuntur, consequens est quod in illa beatitudinis perfectione, creatura rationalis diliget Deum *ex toto corde*, dum tota ejus intentio feretur in Deum ex omnibus quæ cogitat, amat aut agit ; *ex tota mente*, dum semper actualiter mens ejus feretur in Deum, ipsum semper videns, et omnia in ipso et secundum ejus veritatem de omnibus judicans ; *ex tota anima*, dum tota ejus affectio ad Deum diligendum feretur continue et propter ipsum omnia diligentur ; *ex*

tota fortitudine vel *ex omnibus viribus*, dum omnium exteriorum actuum ratio erit Dei dilectio.

II. — Licet vero hæc beatorum perfectio non sit nobis possibilis in hac vita, æmulari tamen debemus, ut in similitudinem perfectionis illius, quantum possibile est, nos trahamus. Et in hoc perfectio hujus vitæ consistit, ad quam per consilia invitamur. Manifestum namque est quod humanum cor tanto intensius in aliquod unum fertur, quanto magis a multis revocatur. Sic igitur tanto perfectius animus hominis ad Deum diligendum fertur, quanto magis ab affectu temporalium revocatur. Unde Augustinus dicit quod venenum charitatis est spes adipiscendarum aut retinendarum temporalium rerum, augmentum vero ejus est cupiditatis diminutio, perfectio vero nulla cupiditas.

Omnia igitur consilia quibus ad perfectionem invitamur ad hoc pertinent, ut animus hominis ab affectu rerum temporalium avertatur, ut sic liberius mens tendat in Deum, contemplando, amando et ejus voluntatem implendo.

(*De perfectione vitæ spirit.*, c. IV et VI.)

29 Octobris

Perfectio in præceptis consistit, non vero in consiliis.

Perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter, uno modo per se et essentialiter, alio modo secundario et accidentaliter.

I. — Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ in charitate, principaliter secundum dilectionem Dei, secundario secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis. Non autem dilectio Dei et proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram ; ita quod id quod est plus, sub consilio remaneat, ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat ; ut cum dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, totum enim et perfectum idem sunt, et cum dicitur : *Diliges proximum sicut teipsum* : unusquisque enim seipsum maxime diligit.

Et hoc ideo est, quia *finis præcepti charitas est.* In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed

solum in his quæ sunt ad finem, sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel diæta utatur ad sanandum.

Et sic patet quod perfectio essentialiter consistit in præceptis : unde Augustinus dicit : Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat ?

II. — Secundario autem et instrumentaliter perfectio consistit in consiliis. Quæ omnia, sicut et præcepta, ordinantur ad charitatem, sed aliter et aliter. Nam præcepta alia a præceptis charitatis ordinantur ad removendum ea quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest ; consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum et alia hujusmodi.

Et inde est quod in Collationibus Patrum dicit abbas Moyses : Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quasi non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem ; et supra præmisit quod ad perfectionem charitatis istis gradibus ascendere nitimur.

Perfectio quidem divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto, ita quod etiam perfectio

patriæ non excluditur ab illo præcepto, sed transgressionem præcepti evadit qui quocumque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit. Est autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur : a quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet præceptum. Est alius gradus qui non potest impleri in via ; a quo qui deficit non est transgressor præcepti. Et similiter non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.

(2, 2, q. CLXXXIV, a. III.)

30 Octobris

De consiliis evangelicis.

Bonis amici consiliis anima dulcoratur. Prov. XXVII. 9.

Quia optimum hominis est ut mente Deo adhæreat et rebus divinis, impossibile autem est quod homo intense circa diversa occupetur, ad hoc

quod liberius feratur in Deum mens hominis, dantur in lege consilia quibus homines ab occupationibus præsentis vitæ quantum possibile est retrahantur.

Occupatur autem humana sollicitudo communiter erga tria, circa propriam personam, quid agat aut ubi conversetur ; circa personas sibi conjunctas, uxorem et filios ; circa res exteriores procurandas quibus homo indiget ad sustentationem vitæ. Ad amputandam igitur sollicitudinem circa res exteriores datur homini in lege divina consilium paupertatis, ut res hujus mundi abjiciat, quibus animus ejus sollicitudine aliqua implicari posset. *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus et veni, sequere me.* Ad amputandam sollicitudinem uxoris et filiorum datur homini consilium de virginitate vel continentia. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Ad amputandam sollicitudinem hominis etiam circa seipsum datur consilium obedientiæ per quam homo dispositionem suorum actuum committit superiori. *Obedite præpositis vestris et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Quia vero summa perfectio humanæ vitæ in hoc consistit quod mens hominis Deo vacet, ad hanc autem mentis vacationem hæc tria maxime videntur disponere, convenienter ad perfectionis statum

pertinere videntur, non quasi ipsæ sint perfectiones, sed quia sunt dispositiones quædam ad perfectionem quæ consistit in hoc quod Deo vacetur.

Possunt etiam dici perfectionis effectus et signa. Cum enim mens vehementer amore et desiderio alicujus rei afficitur, consequens est, quod alia postponat. Ex hoc igitur quod mens hominis amore et desiderio ferventer in divina fertur, in quo perfectionem constare manifestum est, consequitur quod omnia quæ ipsum possunt retardare quominus feratur in Deum, abjiciat, non solum rerum curam, et uxoris et prolis affectum, sed etiam suiipsius.

Quia igitur prædicta tria dispositiones ad perfectionem sunt et effectus et signa, convenienter qui prædicta tria Deo vovent, in statu perfectionis esse dicuntur. Perfectio autem ad quam prædicta disponunt in vacatione mentis circa Deum consistit. Unde et prædictorum professores religiosi dicuntur : quasi se Deo et sua in modum cujusdam sacrificii dedicantes, et quantum ad res per paupertatem, et quantum ad corpus per continentiam, et quantum ad voluntatem per obedientiam. Religio igitur in cultu divino consistit.

(III *Contr.* c. 130.)

31 Octobris

De perseverantia.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth., XXIV, 13.

1° Perseverantia est virtus. Virtus enim est circa difficilia et bonum, et ideo ubi occurrit specialis ratio difficultatis et boni, ibi est specialis virtus. Opus autem virtutis potest habere bonitatem et difficultatem ex duobus, ex ipsa specie actus, et ex ipsa diuturnitate temporis. Nam hoc ipsum quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet. Et ideo diu persistere in aliquo bono usque ad consummationem pertinet ad specialem virtutem. Sicut ergo temperantia et fortitudo sunt speciales virtutes eo quod altera earum moderatur delectationes tactus quod de se difficultatem habet, altera autem moderatur timores et audacias circa pericula mortis quod etiam secundum se difficile est, ita etiam perseverantia est quædam specialis virtus ad quam pertinet in his vel in aliis virtuosis operibus diuturnitatem sustinere prout necesse est.

Perseverantia et constantia differunt secundum

ea quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono; nam virtus perseverantiæ facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quæ provenit ex ipsa diuturnitate actus; constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quæ provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis, (2, 2, q. CXXXVII, a. I et III.)

2° Homo in gratia constitutus indiget auxilio gratiæ ad perseverandum.

Perseverantia enim tripliciter dicitur. Quandoque significat habitum mentis per quem homo firmiter stat ne removeatur ab eo quod est secundum virtutem per tristitias irruentes. Alio modo dicitur perseverantia habitus quidam secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem. Et utroque istorum modorum perseverantia simul cum gratia infunditur sicut et continentia et cæteræ virtutes.

Alio modo dicitur perseverantia continuatio quædam boni usque ad finem vitæ. Et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus non indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus.

Et ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ. Multis enim datur

gratia quibus non datur perseverare in gratia. (1, 2, q. CIX, a. x.)

3° Perseverantiæ donum sub merito non cadit, sed illud aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii. Ea enim quæ non meremur, orando impetramus. Nam et peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes quam non merentur, ut patet per Augustinum super illud Joan. IX, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Alioquin frustra dixisset publicanus : *Deus propitius esto mihi peccatori.* (1, 2, q. CXIV, a IX, 1^um^.)

1ª Novembris.

De sanctorum felicitate.

Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum a constitutione mundi. Matth., XXV, 34.

Regnum cœlorum dicitur gloria paradisi. Nec mirum : nam regnum nihil aliud dicitur nisi regimen. Ibi autem est optimum regimen ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Voluntas

autem Dei est salus hominum, quia *vult homines salvos fieri* ; et hoc potissime erit in paradiso, ubi nihil erit saluti hominum repugnans. Matth., XIII, 41 : *Aufer de regno ejus omnia scandala.* Cum ergo petimus : *adveniat regnum tuum*, oramus ut simus participes regni cœlestis et gloriæ paradisi.

Quod quidem regnum est valde desiderabile propter tria.

1° Propter summam justitiam quæ est in eo. Isa., 60, 21 : *Populus tuus omnes justi.* Hic enim mali sunt mixti bonis, sed ibi nullus malus erit et nullus peccator.

2° Propter perfectissimam libertatem. Hic enim non est libertas, quanquam omnes naturaliter desiderent eam ; sed ibi erit omnimoda libertas contra omnem servitutem. Rom., 8, 21 : *Ipsa creatura liberabitur a corruptione.* Et non solum erunt homines ibi liberi, sed erunt reges. Apoc., v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Cujus ratio est, quia omnes erunt ejusdem voluntatis cum Deo, et Deus volet quidquid sancti volent, et sancti quidquid Deus voluerit : unde cum voluntate Dei fiet voluntas eorum ; et ideo omnes regnabunt, quia omnium voluntas fiet, et Dominus erit corona omnium. Isa., XXVIII, 5 : *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui.*

3° Propter mirabilem affluentiam. Isa., LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Ps. 102, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum.*

Et nota quod homo inveniet omnia in solo Deo excellentius et perfectius omni eo quod in mundo quæritur. Si delectationem quæris, summam invenies in Deo. Joan. : *Videbitis et gaudebit cor vestrum. Lætitia sempiterna super capita eorum* ; si durationem, est æternitas : *justi autem in vitam æternam* ; si divitias, ibi omnem sufficientiam invenies propter quam sunt divitiæ, et sic de aliis.

Augustinus : Quidquid est quod sancte possit desiderare anima tua, totum erit ibi Deus.

(*In orat. dominic.*)

2 Novembris

De Purgatorio.

Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. I Cor., III, 12.

Per aurum significatur secundum Augustinum Dei contemplatio : per argentum dilectio proximi, per lapides pretiosos bona opera. Per lignum vero, fœnum et stipulam significantur ipsa peccata venialia quæ admiscent se procurantibus terrena. Sicut enim hujusmodi congregantur in domo et non pertinent ad substantiam ædificii et possunt comburi ædificio remanente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali ædificio, et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen salutem consequitur æternam. (1, 2, q. LXXXIX, a. II.)

Venialia enim charitati adjuncta possunt per aliquam pœnam consumi ; et ideo convenienter secundum metaphoram signantur illa quæ per ignem consumuntur. Et quia quanto aliquod peccatum est gravius, tanto difficilius purgatur, in peccatis autem venialibus invenitur alterum altero gravius, ideo convenienter eorum diversitas signatur per diversitatem eorum quæ facilius et tardius consumuntur ab igne. (4, Dist. 21, q. I, a. II.)

Quia autem omnia tribus includuntur, scilicet principio, medio et fine, secundum hoc omnes gradus venialium peccatorum ad tria reducuntur : scilicet ad lignum quod diutius manet in igne ; ad stipulam quæ citissime expeditur, ad fœnum quod medio modo se habet : secundum enim quod peccata venialia sunt majoris vel minoris adhæ-

rentiæ vel gravitatis, citius vel tardius per ignem purgantur. (1, 2, q. LXXXIX, a. II, 4um).

Quædam enim venialia sunt majoris adhærentiæ quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur et fortius in eis figitur. Et quia ea quæ sunt majoris adhærentiæ tardius purgantur, ideo quidam in purgatorio diutius quam alii torquentur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.

Quum tamen acerbitas pœnæ proprie respondeat quantitati culpæ, et diuturnitas respondeat radicationi culpæ in subjecto, ideo potest contingere quod aliquis diutius moretur qui minus affligitur, et e converso. (4, Dist. 21, q. I, a. III.)

3 Novembris

De purgatorii pœnis.

I. — In purgatorio est duplex pœna : una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione ; alia sensus, secundum quod ab igne corporali puniuntur. Et quantum ad utrumque pœna purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ.

Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior et quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, ideo de retardatione maxime dolent.

Similiter etiam cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tanto aliquis magis dolet de aliquo læsivo, quanto magis est sensitivum, unde læsiones quæ fiunt in locis maxime sensibilibus sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquod læsivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur. Quod autem anima ab igne corporali patiatur, hoc admitti debet.

Et ideo oportet quod pœna purgatorii quantum ad pœnam damni et sensus excedat omnem pœnam istius vitæ. (4 Dist. XXI, q. I, a. 1.)

II. — Quantum ad locum purgatorii, non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen probabiliter dicitur quod locus purgatorii est locus inferior inferno conjunctus, ita quod idem sit ignis qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. Ideo Gregorius dicit quod

sicut sub eodem igne aurum rutilat et palea fumat, ita sub eodem igne peccator crematur et electus purgatur.

(4 Dist. 21, q. I, a. 1.)

4 Novembris

De sanctorum invocatione.

I. — Debemus sanctos invocare.

Iste ordo est divinitus institutus in rebus ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum sancti qui sunt in patria sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit ut nos qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur : quod quidem contingit dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et quia reditus noster ad Deum respondere debet processui bonitatum ipsius in nos, sicut mediantibus sanctorum suffragiis, Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus, mediantibus sanctis. Et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et

quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

Quamvis quidem sancti superiores sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores sanctos interdum orare. Et hoc propter quinque rationes :

1° Quia quandoque aliquis habet majorem devotionem ad minorem sanctum quam ad sanctum majorem : ex devotione autem maxime dependet orationis effectus.

2° Propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit. Per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur.

3° Quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari.

4° Ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis.

5° Quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetraretur.

II. — Sancti orationes nostras cognoscunt.

Divina essentia est sufficiens medium cognos-

cendi omnia. Deus videndo suam essentiam omnia intuetur. Non tamen sequitur quod quicumque essentiam Dei vident, omnia cognoscant, sed solum qui essentiam Dei comprehendunt. Unde cum animæ sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens ut omnia cognoscant quæ per essentiam divinam cognosci possunt. Unde etiam de quibusdam inferiores angeli a superioribus edocentur, quamvis omnes essentiam divinam videant.

Sed unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio suæ beatitudinis requirit. Hoc enim ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quæ ad ipsum pertinent, cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent, et ideo quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet quod auxilium indigentibus præstent ad salutem. Sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius, ut ait Dionysius.

Unde patet quod sancti habent cognitionem eorum quæ ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est quod in Verbo cognoscunt vota et devotiones et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt.

(4. Dist., 45, q. III, a. 1 et II,)

5 Novembris

De sanctorum intercessione pro nobis ad Deum.

I. — Orant sancti pro nobis.

Sicut Hieronymus dicit, Vigilantii error fuit quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus ; postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda oratio. Sed hoc est omnino falsum, quia cum oratio pro aliis facta ex charitate proveniat, quanto sancti qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt ; et quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces. Habet enim hoc divinus ordo ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem. Unde et de Christo dicitur Hebr., 7, 25 : *Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis.* Et propter hoc, Hieronymus dicit : Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro aliis orant, quanto magis post coronas, victorias et triumphos ? (2, 2, q. LXXXIII, a. XI.)

II. — Orationes sanctorum ad Deum pro nobis semper exaudiuntur.

Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis : uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant ; alio modo, oratione interpretativa, scilicet per eorum merita quæ in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia, et orationes quædam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere.

Utroque autem modo, sanctorum orationes sunt, quantum est in eis, efficaces ad impetrandum quod petunt. Sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non consequamur fructum orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt. Sed secundum quod orant pro nobis, votis suis aliquid nobis postulando, semper exaudiuntur, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri. Quod autem Deus vult, semper impletur. Nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam *vult omnes homines salvos fieri*, quæ non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quod sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impleatur. (4. Dist. 45, q. III, a. III.)

6 Novembris

De utilitate quæ ex fide resurrectionis mortuorum provenit.

Ad quatuor est nobis utilis fides et spes resurrectionis.

1° Ad tollendum tristítias quas ex mortuis concipimus. Impossibile est enim quod homo non doleat de morte consanguinei vel amici sui ; sed per hoc quod sperat eum resurrecturum, multum temperatur dolor mortis. I Thess., IV, 12 : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.*

2° Ad auferendum timorem mortis. Nam si homo post mortem non speraret aliam vitam meliorem, sine dubio mors esset valde timenda, et potius deberet homo quæcumque mala facere, quam incurrere mortem. Sed quia credimus esse aliam vitam meliorem ad quam perveniemus post mortem, constat quod nullus debet mortem ti-

mere, nec timore mortis aliqua mala facere. Hebr., II, 14 : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum ; et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

3° Reddit sollicitos et studiosos ad bene operandum. Si enim vita hominis esset tantum ista in qua vivimus, non inesset homini magnum studium ad bene operandum : quia quidquid faceret, parvum esset, cum ejus desiderium non sit ad bonum determinatum secundum certum tempus, sed ad æternitatem. Sed quia credimus quod per hæc quæ hic facimus, recipiemus bona æterna in resurrectione, ideo studemus bona operari. I Cor., XV, 19 : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

4° Retrahit a malo. Sicut enim spes præmii allicit ad bonum operandum, ita timor pœnæ, quam credimus malis reservari, retrahit a malo. Joan., V, 29 : *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

(*In Symbol.*)

7 Novembris

De necessitate finalis judicii.

Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Joan., XII, 48.

Judicium de aliqua re mutabili non potest perfecte dari ante ejus consummationem, sicut judicium de aliqua actione qualis sit, perfecte dari non potest, antequam sit consummata et in se et in suis effectibus : quia multæ actiones videntur esse utiles, quæ ex effectibus demonstrantur nocivæ ; et similiter de homine aliquo judicium perfecte dari non potest, quoad ejus vita terminetur, eo quod multipliciter potest mutari de bono in malum, aut e converso, vel de bono in melius aut de malo in pejus. Unde Apostolus dicit quod *hominibus statutum est semel mori ; post hoc autem judicium.*

Sciendum tamen quod licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid dependens :

1° Secundum quod adhuc vivit in memoriis

hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonæ famæ vel malæ.

2° In filiis qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud Eccli., xxx, 4 : *Mortuus est pater ejus et quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se*, et tamen multorum bonorum sunt mali filii, et e contrario.

3° Quantum ad effectum suorum operum, sicut deceptione Arii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi ; et usque tunc proficit fides ex prædicatione Apostolorum.

4° Quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturæ, quandoque vero relinquitur insepultum, et tandem incineratum omnino resolvitur.

5° Quantum ad ea in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus rebus, quarum quædam citius finiuntur, quædam diutius durant. Omnia autem hæc subduntur existimationi judicii divini.

Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum judicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo perfecte et manifeste judicetur.

Post mortem quidem, quantum ad ea quæ sunt animæ, homo sortitur quemdam immutabilem statum; et ideo quantum ad præmium animæ non oportet ulterius differri judicium. Sed quia quædam alia sunt ad hominem pertinentia, quæ toto temporis cursu aguntur, quæ non sunt aliena a divino judicio, oportet iterum in fine temporis omnia hæc in judicio adduci. Licet enim homo secundum hæc non mereatur neque demereatur, tamen pertinent ad aliquod ejus præmium vel pœnam. Unde oportet hæc omnia æstimari in finali judicio.

(3ª, q. LIX, a. v.)

8 Novembris

De causæ discussióne in judicio.

I. — Dominus disceptabit cum hominibus :

1° De magnitudine Passionis suæ; unde ostendet omnia instrumenta mortis suæ, scilicet crucem, clavos et lanceam. Item ostendet cicatrices. Apoc., 1, 7 : *Videbit eum omnis populus et qui*

eum pupugerunt. Item Apoc. 19, 13 : *Indutus erat veste aspersa sanguine.* Vexillum autem crucis apparebit ante illum. Matth., 24, 30 : *Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo.* De quibus etiam dicit : Quid dices, quid facies, o peccator ? Contra te loquetur conscientia, te accusabunt omnia elementa. Crux Christi plorabit, Christus per vulnera allegabit, cicatrices loquentur, et clavi conquerentur.

2° De omissionibus. Matth., 25, 42 : *Esurivi et non dedistis mihi manducare ; sitivi et non dedistis mihi bibere ; hospes fui, et non collegistis me ; nudus et non cooperuistis me ; infirmus et in carcere, et non visitastis me.*

3° Sap. 1, 9 : *De cogitationibus impiis interrogatio erit.* 4° De intentionibus. Hebr., 4, 12 : *Discretor cogitationum et intentionum cordis.* 5° De verbis otiosis. Matth., 12, 36 : *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii.* 6° De malis operibus. Sap., 6, 4 : *Interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur.* 7° De rebus temporalibus. Luc. 16, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.* 8° De custodia familiæ tuæ. Ubi est grex qui datus est tibi ? 9° De annis et tempore quod otiose pertransivit tecum. Thren., 1, 15 : *Vocavit adversus me tempus.* Job., 24, 23 : *Cedit ei Dominus pœnitentiæ tempus, et ipse abutitur eo in superbia.*

II. — Post disceptationem sequitur causæ discussio, circa quam notandi sunt accusatores et testes.

Accusatores erunt tres : primo accusabit hominem conscientia. Rom., 2, 15 : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum ; et inter se invicem cogitationibus accusantibus... in die qua judicabit Deus occulta hominum.* Item dæmon qui datus est ei ad exercitium, qui continue observavit eum et opera ejus ut accusaret. Apoc., 12, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos die ac nocte.* Item locus et creatura ubi peccavit. Job., 20, 27 : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.* Habac., 2, 11 : *Lapis de pariete clamabit.* Et quod etiam pater accusabit filium, et filius patrem. Conqueretur filius de malo patre, quoniam propter ipsum est in opprobrium. Sap., 4, 6 : *Ex iniquis omnes qui nascuntur filii, testes sunt nequitiæ adversus patrem.*

Testes similiter erunt tres. Primus erit Creator quem offendimus, Job., 16, 20 : *Ecce in cœlo testis meus et conscius meus in excelsis.* Jer., 29, 23 : *Ego sum judex et testis.* Secundus erit bonus angelus, qui datus est homini ad custodiam, qui accusabit eum de multa ingratitudine servitii sui. Unde dicet in judicio illud Jer., 51, 9 : *Curavimus Babylonem, et non est curata vel sanata.* Tertius erit macula peccati, quæ relucebit in facie. Jer., 2, 19 : *Arguet te malitia tua.* Job., 16, 9 :

Rugæ meæ dicunt testimonium contra me. Et sic erunt tres testes contra hominem, juxta illud Deut., 17, 6 : *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.*

(*De Judicio ultimo*, XVII et XVIII.)

9 Novembris

De timore judicii.

Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus. Apoc., XIV, 7.

Est judicium illud timendum propter quatuor :

1° Propter judicis sapientiam. Scit enim omnia, et cogitationes et locutiones et operationes : quoniam *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Hebr., IV, 13 : *Omnes viæ hominum patent oculis ejus.* Ipse enim scit verba nostra. Sap., I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Item cogitationes nostras. Jer., XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventio-*

num suarum. Ibi erunt testes infallibiles, scilicet propriæ hominum conscientiæ. Rom., II, 15 : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cum judicabit Deus occulta hominum.*

2° Propter judicis potentiam, quia omnipotens est in se. Isa., XL, 10 : *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Item omnipotens est in aliis, quia omnis creatura erit cum eo. Sap., V, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Et ideo dicebat Job., X, 7 : *Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.* Ps. 88, 8 : *Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum ades.*

3° Propter judicis inflexibilem justitiam. Nunc enim est tempus misericordiæ, sed tempus futurum erit solum tempus justitiæ. Et ideo nunc est tempus nostrum, sed tunc erit solum tempus Dei. Ps. 74, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Prov., VI, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

4° Propter judicis iram. Aliter enim apparebit justis quia dulcis et delectabilis. Isa., XXXIII, 17 : *Regem in decore videbunt* : aliter malis, quia

iratus et crudelis, in tantum ut dicant montibus : *Cadite super nos, et abscondite nos ab ira Agni.* Apoc., VI, 16. Hæc autem ira non dicit in Deo commotionem animi, sed effectum iræ, pœnam scilicet peccatoribus inflictam, scilicet æternalem. Origenes : « Quam angustæ erunt peccatoribus viæ in judicio ! »

(*In Symbol.*)

10 Novembris

De summi Judicis potestate.

Veniet cum potestate magna et majestate. Matth., XIV, 30. Glossa : In potestate magna et majestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem ejus tanto districtius tunc sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad potentiam non inclinant. Revera cum potestate magna veniet, *nam virtutes cœlorum movebuntur.* Greg. : « Quid virtutes cœlorum nisi angelos, Dominationes, potestates et principatus appellat, quæ in adventu judicis tunc visibiliter oculis apparebunt, ut districte tunc a nobis exigatur hoc quod nos modo invisibilis Conditor æquanimiter

portat? » Chrysostomus : « Si rex terrenus processurus ad bellum expeditionem mandat in populo, dignitates moventur, exercitus excitantur, civitas tota fervet ; quanto magis rege cœlesti exurgente judicare vivos et mortuos,angelicæ virtutes commoventur, terribiles ministri terribiliorem Dominum præcedentes? »

Sciendum quod potestas Christi judicantis erit insuperabilis, inexplicabilis, interminabilis.

De primo dicit Chrysostomus : « Nec resistendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus tunc erit. » Ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus.

De secundo Augustinus tractans illud Joan.: *Ut autem dixit ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram*, sic dicit : « Una vox turbam odiis ferocem, armis terribilem sine ullo telo percussit, repulit et stravit virtute latentis divinitatis. Quid faciet judicaturus qui hoc fecit judicandus? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? » Quasi dicat explicari non potest tanti judicis potestas.

De tertio dicitur Daniel, 7, 13 : *Aspiciebam [in visione et ecce Filius hominis.* Et infra : *potestas ejus potestas æterna*, id est quæ nullo fine claudetur. Multum igitur timenda est tanti judicis potestas.

Sicut autem potestas Christi judicantis erit insuperabilis, ita sapientia ineffabilis, justitia infle-

xibilis. Unde Bernardus : « Veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda quam astuta verba, et bona conscientia quam marsupia plena, quoniam judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. » Hæc autem ad faciendum judicium requiruntur, zelus justitiæ quo ad judicium procedatur, lumen sapientiæ, secundum quam sententia proferatur, virtus potentiæ qua sententia lata exequatur. Quæ excellentissime in Christo judice reperientur, utpote cujus justitia inflexibilis, sapientia ineffabilis, potentia insuperabilis scripturæ et sanctorum testimonio comprobatur.

Gregorius : O quam angustæ erunt tunc reprobis viæ ! Superius judex iratus, inferius horrendum chaos, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad supplicium pertrahentia : intus conscientia urens, foris mundus ardens, miser peccator sic deprehensus quo fugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.

(*De Humanitate Christi*).

11 Novembris

De ultimi judicii tempore.

Tempus adventus Domini omnibus est ignotum, secundum illud Matth. 24, 36 : *De die au-*

tem illa et hora nemo scit, neque Angeli, neque Filius. Ideo autem notitiam hujus diei non donavit, quia nobis expedit ut semper incerti de adventu judicis sic quotidie vivamus quasi alia die judicandi, ut dicit Glossa. Marc., 13, 33 : *Videte, vigilate et orate ; nescitis enim quando tempus sit.* In quibus verbis Dominus notabiliter tria verba inculcat, scilicet videte, vigilate et orate.

1° Debemus ferventer videre, diem adventus justi judicis pensando. Semper enim ante oculos nostros ponenda est dies illa, dies iræ. Unde Deut., 32, 29 : *Utinam saperent, et intelligerent ac novissima provideren*t. Hieronymus : Sive comedam, sive bibam, sive scribam, sive aliud operis quidquam faciam, semper sonat in auribus meis vox illa : surgite, mortui, venite ad judicium.

2° Debemus vigilare instanter operando, ut bonis operibus parati inveniamur. Gregorius : Vigilat qui ad aspectum veri luminis oculos apertos habet ; vigilat qui servat operando quod credit ; vigilat qui a se corporis et negligentiæ tenebras repellit. Sic igitur vigilandum est quia nescimus qua hora Dominus noster venturus sit, sive ad judicium singulare, quod erit in obitu cujuslibet, sive ad judicium universale et finale. Unde Augustinus super illud Marc : *Quod uni dico, omnibus dico* : *Vigilate* : tunc unicuique veniet dies ille, cum venerit ejus dies, ut talis hinc exeat,

qualis est judicandus in illo : ac per hoc vigilare debet omnis christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suæ vitæ ultimus dies.

3° Debemus orare, ferventer impetrando Christi misericordiam, ut *digni esse possimus* omnia *quæ futura sunt mala fugere, et stare ante Filium hominis*, Luc., 21, 36. Ubi duo tanguntur, pro quibus est orandum ; scilicet pro futuris malis vitandis, et pro futuris bonis adipiscendis. Primum ibi : *Ut digni habeamini fugere ista omnia.* Unde etiam Matth., 24, 20, dicitur : *Orate ne fuga vestra fiat in sabbato*, id est ne tunc velitis fugere quando non licet nec possitis. Spiritualiter autem orare præcipimur, ut non frigescat fides in Deum et caritas, neque otiosi in opere Dei torpeamus, virtutum sabbato, ut dicit Glossa. Secundum tangitur ibi : *et stare ante Filium hominis* ; hæc est summa beatitudinis in præsentia judicis sui securum esse. Theodoretus : Hæc enim est angelica gloria, stare ante Filium hominis Deum nostrum et faciem ejus jugiter cernere.

(*De Humanitate Christi.*)

12 Novembris

De morte æterna.

Mali, qui erunt in morte æterna, non minus habebunt de dolore et pœna, quam boni de gaudio et gloria. Exaggeratur autem pœna eorum :

1° Ex separatione Dei et omnium bonorum ; et hæc est pœna damni quæ respondet aversioni : quæ pœna major est quam pœna sensus. Matth., XXV, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* In vita enim ista mali habent tenebras interiores, scilicet peccati ; sed tunc habebunt exteriores.

2° Ex remorsu conscientiæ. Ps. 49, 21 : *Arguam te et statuam contra faciem tuam.* Sap., v, 3 : *Præ angustia spiritus gementes.* Et tamen hæc pœnitentia et gemitus erit inutilis, quia non propter odium mali, sed propter timorem et enormitatem pœnæ.

3° Ex immensitate pœnæ sensibilis, scilicet ignis inferni, qui animam et corpus cruciabit :

quæ est acerbissima pœnarum, sicut dicunt sancti. Et erunt sicut semper morientes et nunquam morituri : unde dicitur mors æterna, quia sicut moriens est in acerbitate pœnarum, ita et illi qui sunt in inferno. Ps. 48, 1 : *Sicut oves in inferno positi sunt ; mors depascet eos.*

4° Ex desperatione salutis. Nam si eis daretur spes liberationis a pœnis, eorum pœna mitigaretur; sed cum subtrahitur eis omnis spes, pœna efficitur gravissima. Isa., 66, 24 : *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur.*

Sic ergo patet differentia inter bene operari et male : quia bona opera ducunt ad vitam, mala autem trahunt ad mortem. Et propter hoc homines deberent frequenter reducere hæc ad memoriam, quia ex hoc provocarentur ad bonum et retraherentur a malo. Unde et signanter in fine Symboli et omnium ponitur *Vitam æternam* ut semper magis memoriæ imprimatur ; ad quam vitam nos perducat Dominus Jesus Christus, Deus benedictus in sæcula sæculorum.

(*In Symbol.*)

13 Novembris

De pœnis damnatorum.

1° *Ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum* ; Ps. x, 7. Job., 24, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* In ultima mundi purgatione fiet separatio in elementis, ut quidquid est purum et nobile remaneat superius ad gloriam beatorum ; quidquid vero est ignobile et fœculentum, in infernum projiciatur ad pœnam damnatorum ; ut sicut omnis creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud Sap., 5, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Hoc etiam divinæ justitiæ cómpetit, ut sicut ab uno recedentes per peccatum, in rebus materialibus quæ sunt multæ et variæ finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter et ex multis affligantur.

2° *Vermis eorum non moritur.* Vermis qui in damnatis ponitur non debet intelligi esse corporalis, sed spiritualis, qui est conscientiæ remor-

sus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo.

3° *Mittite eum in tenebras exteriores.* Matth., 22, 14. Basilius dicit super illud Ps. 28 : *Vox Domini intercidentis flammam ignis,* quod virtute Dei separabitur claritas ignis ab ejus virtute adustiva, ita quod claritas cedet in gaudium beatorum, et ustivum ignis in tormentum damnatorum. Dispositio enim inferni erit talis, quod maxime miseriæ damnatorum competat. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebræ, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum. Ipsa autem visio secundum se delectabilis est, sed contingit visionem esse afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostræ voluntati repugnantia. Et ideo in inferno debet esse locus dispositus ut nihil ibi perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quæ afflictionem cordi ingerere possunt. Unde locus est tenebrosus, sed ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quæ animam torquere possunt.

4° *Devorabit eum ignis qui non succenditur.* Job., 20., Gregorius : « Ignis corporeus, ut esse valeat, corporeis indiget fomentis, nec valet nisi succensus esse et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit corporeus et in se

missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis et succensione non indiget et ardore non caret. » Ignis ille lignis non indiget quibus foveatur, quia vel in propria materia existit, vel est in materia aliena non per violentiam, sed per naturam a principio intrinseco. Unde non est ab homine succensus, sed a Deo qui naturam illam instituit, et hoc est quod dicitur Is., 30, 33 : *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

(4 *Dist.*, 50.)

14 Novembris

De damnatorum intellectu.

Videntes turbabuntur timore horribili. Sap., v, 2.

1° Damnati poterunt uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.

Sicut enim propter perfectam sanctorum beatitudinem nihil erit in eis quod non sit gaudii materia, ita nihil erit in damnatis quod non sit eis

materia et causa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiam possit pertinere deerit, ut sit eorum miseria consummata. In damnatis igitur erit actualis consideratio eorum quæ prius sciverunt ut materia tristitiæ, non autem ut delectationis causa. Considerabunt enim et mala quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, et bona delectabilia quæ amiserunt, et ex utroque torquebuntur. Similiter etiam torquebuntur de hoc quod considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerunt imperfectam esse, et se amisisse summam ejus perfectionem quam poterant adipisci.

2° Damnati gloriam beatorum videbunt. Ante diem enim judicii videbunt beatos in gloria : non hoc modo quod gloriam eorum qualis sit cognoscant, sed solum cognoscent eos esse in gloria quadam inæstimabili. Et ex hoc turbabuntur, tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dicitur Sap., 5, 2, de impiis : *Videntes turbabuntur timore horribili.*

Sed post diem judicii omnino beatorum visione privabuntur ; nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriæ beatorum, quam in judicio viderunt vel ante judicium, et hoc erit eis in tormentum ; sed ulterius affligentur in hoc quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam quam sancti merentur habere.

3° Damnati de Deo cogitabunt.

Deus potest considerari dupliciter, uno modo secundum se et secundum id quod est ei proprium, scilicet esse totius bonitatis principium, et sic nullo modo cogitari potest sine delectatione; unde sic nullo modo a damnatis cogitabitur. Alio modo, secundum aliquid quod est ei quasi accidentale in effectibus ejus, utpote punire, vel aliquid hujusmodi, et secundum hoc consideratio de Deo potest tristitiam inducere, et hoc modo damnati de Deo cogitabunt, non considerantes eum nisi ut punitorem et prohibitorem ejus quod malæ eorum voluntati consonat.

(4 *Dist.*, 50.)

15 Novembris

De damnatorum voluntate.

1° Non pœnitent de malo quod fecerunt. Pœnitere de peccato contingit per se et per accidens. Per se quidem de peccato pœnitet qui peccatum, in quantum est peccatum abominatur; per accidens vero qui illud odit ratione alicujus adjuncti, utpote pœnæ, vel alicujus hujusmodi. Mali igitur

non pœnitebunt, per se loquendo, de peccatis, quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet ; pœnitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de pœna quam pro peccato sustinent.

2° Vellent omnes esse damnatos.

Sicut in beatis in patria erit perfectissima charitas, ita in damnatis erit perfectissimum odium. Unde sicut sancti gaudebunt de omnibus bonis, ita et impii de omnibus bonis dolebunt. Unde et felicitas sanctorum ab eis considerata maxime eos affligit. Unde dicitur Isa., 26, 11 : *Videant et confundantur zelantes populi ; et ignis hostes tuos devoret.* Unde volent omnes bonos esse damnatos.

Et quamvis ex damnatorum multitudine pœna singulorum augeatur, tamen tantum superexcrescent odium et invidia, quod magis eligent torqueri magis cum multis quam minus soli.

Tanta autem erit invidia in damnatis quod etiam propinquorum gloriæ invidebunt, cum ipsi sint in summa miseria, cum etiam in hac vita hoc accidat, crescente invidia.

3° Damnati Deum odio habent. Ps. 73, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

Deus apprehenditur vel in se, sicut a beatis qui eum per essentiam vident, vel per effectus, sicut a nobis et damnatis. Ipse igitur in seipso, cum sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati

displicere ; unde quicumque eum per essentiam videt, eum odio habere non potest.

Sunt autem quidam effectus Dei qui repugnant inordinatæ voluntati, sicut inflictio pœnæ, et etiam cohibitio peccatorum per legem divinam : quæ repugnant voluntati depravatæ per peccatum. Et secundum hoc Deus non in seipso, sed ratione effectuum odio haberi potest. Et sic damnati Deum percipientes in effectu justitiæ qui est pœna eum odio habent, sicut et pœnas quas sustinent. (4 *Dist.*, 50, q. II, a. 1.)

4° Damnati semper blasphemant. Apoc., 16, 9 : *Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas.*

Ad rationem blasphemiæ pertinet detestatio divinæ bonitatis. Illi autem qui sunt in inferno retinebunt perversam voluntatem aversam a Dei justitia, in hoc quod diligunt ea pro quibus puniuntur, et vellent eis uti si possent, et odiunt pœnas quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur. Dolent tamen etiam de peccatis quæ commiserunt, non quia ipsa odiunt, sed quia pro eis puniuntur.

Sic ergo talis detestatio divinæ justitiæ est eis interior cordis blasphemia. Et credibile est quod post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei.

Homines deterrentur quidem in præsenti a

blasphemia propter timorem pœnarum, quas se putant evadere. Sed damnati in inferno non sperant se posse evadere, et ideo tanquam desperati feruntur ad omne quod eis perversa voluntas suggerit. (2, 2, q. XIII, a. IV.)

16 Novembris

De æternitate supplicii damnatorum.

Ibunt hi in supplicium æternum. Matth., 25, 46.

I. — Sicut se habet præmium ad meritum, ita pœna ad culpam. Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur præmium æternum. Ergo et culpæ temporali secundum divinam justitiam debetur pœna æterna.

Cum pœna habeat duplicem quantitatem, scilicet secundum intensionem acerbitatis, et secundum durationem temporis, quantitas pœnæ respondet quantitati culpæ secundum intensionem acerbitatis, ut secundum quod gravius quis peccavit, secundum hoc gravior pœna ei infligatur.

Unde Apoc., 18, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum.*

Non autem respondet duratio pœnæ durationi culpæ ; non enim adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentanea pœna punitur, etiam secundum leges humanas. Sed duratio pœnæ respicit dispositionem peccantis. Quandoque enim ille qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus ut totaliter a civium consortio repellatur vel per exilium perpetuum, vel per mortem. Quandoque vero non redditur dignus ut totaliter a societate civium excludatur ; et ideo ut possit esse conveniens membrum civitatis, pœna ei prolongatur vel breviatur, secundum quod expedit ejus curationi, ut in civitate convenienter et pacifice vivere possit.

Et ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari ; quod fit per omne peccatum quo contra charitatem peccat, quæ est vinculum civitatem prædictam uniens. Et ideo pro peccato mortali, quod est contrarium charitati, aliquis in æternum a societate sanctorum exclusus pœnæ æternæ addicitur.

Qui vero hoc modo peccant, ut tamen inde non reddantur digni totaliter separari a sanctæ civitatis consortio, sicut peccantes venialiter, tanto eorum pœna erit brevior vel diuturnior, quanto magis vel minus purgabiles erunt, secundum quod

eis peccata plus vel minus inhæserunt : quod in pœnis hujus mundi et purgatorii secundum divinam justitiam servatur.

II. — Impiorum vero pœnæ in perpetuum duraturæ sunt utiles ad duo : 1° Ad hoc quod in eis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam. 2° Ut de his electi gaudeant, cum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscunt. Et hoc est quod Gregorius dicit : Iniqui omnes æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate punientur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in illis perspiciant supplicia quæ evaserunt : quatenus tanto magis in æternum divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt quæ ejus adjutorio vicerunt. (4, Dist., 46, q. I).

III. — Spes non est in damnatis. Isa., 65, 14 : *Servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

Sicut de ratione beatitudinis est ut in ea quietetur voluntas, ita de ratione pœnæ ut id quod pro pœna infligitur, voluntati repugnet. Non autem potest voluntatem quietare vel ei repugnare quod ignoratur. Et ideo Augustinus dicit quod Angeli perfecte beati esse non poterant in primo statu

ante confirmationem vel lapsum, cum non essent præscii sui eventus.

Requiritur enim ad perfectam et veram beatitudinem ut aliquis certus sit de suæ beatitudinis perpetuitate; alioquin voluntas non quietaretur.

Similiter cum perpetuitas damnationis pertineat ad pœnam damnatorum, non vere haberet rationem pœnæ nisi voluntati repugnaret, quod esse non posset, si perpetuitatem suæ damnationis ignorarent. Et ideo ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet ut ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire. Unde dicitur Job., 15 : *Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem* (2, 2, q. XVIII, a. III).

17 Novembris

An sit credenda vita æterna.

I. — Convenienter in fine omnium desideriorum, scilicet in vita æterna, finis datur credendis in Symbolo, cum dicitur *Vitam æternam. Amen.* Est contra eos qui ponunt animam interire cum cor-

pore. Si enim hoc esset verum, homo esset ejusdem conditionis cum brutis, et istis convenit illud Ps. 48, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Anima enim humana assimilatur Deo in immortalitate, ex parte autem sensualitatis assimilatur bestiis. Cum ergo credit quis quod anima moriatur cum corpore, recedit a Dei similitudine, et bestiis comparatur. Contra quos dicitur Sap., II, 22 : *Neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum ; quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.*

II. — Nunc facile est credere propter Christi testimonium. Duo enim sunt homini necessaria ad cognoscendum, scilicet gloria Dei et pœna inferni. Nam per gloriam allecti et per pœnas territi, cavent sibi homines et retrahuntur a peccatis. Sed hæc sunt valde difficilia homini ad cognoscendum. Unde de gloria dicitur Sap., IX, 16 : *Quæ in cœlis sunt quis investigabit ?* Et hoc quidem difficile est terrenis, quia ut dicitur : *Qui de terra est, de terra loquitur ;* sed non est difficile spiritualibus, quia *qui de cœlo venit super omnes est.* Et ideo Deus de cœlo descendit, et incarnatus est ut doceret nos cœlestia.

Erat etiam difficile cognoscere pœnas inferni. Sap., II, 1 : *Non est qui agnitus sit reversus ab*

inferis. Et hoc dicitur in persona impiorum. Et hoc non potest modo dici : quia sicut descendit de cœlo ut doceret cœlestia, ita resurrexit ab inferis ut nos de inferis edoceret.

(*In Symbol.*)

18 Novembris

De visione Dei immediata.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. Joan., 17, 3.

I. — Cum impossibile sit naturale desiderium esse inane, quod quidem esset, si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam intelligendam, quod naturaliter omnes mentes desiderant, necesse est dicere quod possibile est substantiam Dei videri per intellectum et a substantiis intellectualibus separatis et animabus nostris.

Hæc autem visio immediata Dei repromittitur nobis in Scriptura. I Cor., 13 : *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*, quod corporali modo nefas est intelligere,

ut in ipsa divinitate corporalem faciem imaginemur, cum sit Deus incorporeus, neque etiam sit possibile ut nostra corporali facie Deum videamus, cum visus corporalis qui in facie nostra residet nonnisi rerum corporalium esse possit. Sic igitur facie Deum videbimus, quia immediate eum videbimus, sicut hominem quem facie ad faciem videmus.

Secundum autem hanc visionem maxime Deo assimilamur et ejus beatitudinis participes sumus. Nam ipse Deus per suam essentiam suam substantiam intelligit, et hæc est felicitas. Unde dicitur I Joan., III : *Cum autem apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Et Luc. 22, Dominus dicit : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* ; quod quidem de corporali cibo et potu non potest intelligi, sed de eo qui in mensa sapientiæ sumitur, de quo a sapientia dicitur Prov., 9 : *Comedite panes meos et bibite vinum quod miscui vobis.* Super mensam ergo Dei manducant et bibunt, qui eadem felicitate fruuntur, qua Deus felix est, videntes eum illo modo quo ipse videt seipsum. (3, *Contr.* c. LI.)

II. — *Hæc est vita æterna.* Illa proprie vivere dicimus quæ seipsa movent ad operandum, et omnes operationes ad quas operans movet se dicuntur opera vitæ, sicut velle, intelligere, sentire,

augeri et moveri. Inter opera autem vitæ altius est opus intelligentiæ, quod est intelligere, et ideo operatio intellectus maxime est vita. Cum ergo intelligentia sit vita et intelligere sit vivere, sequitur quod intelligere rem æternam sit vivere vita æterna. Deus est autem res æterna; intelligere ergo et videre Deum est vita æterna. Et ideo Dominus dicit quod in visione consistit vita æterna, scilicet principaliter secundum totam suam substantiam. Amor autem est movens ad hanc et quoddam ejus complementum. Nam ex delectatione quæ est in fruitione divina quam facit caritas, est complementum et decor beatitudinis, sed ejus substantia in visione consistit.

(*In Joan.*, c. XVII.)

19 Novembris

De vita æterna.

1° In vita æterna primum est quod homo conjungitur Deo. Nam ipse Deus est præmium et finis omnium laborum nostrorum. Consistit autem hæc conjunctio in perfecta visione; secundo in

ferventissimo amore ; quanto enim aliquid melius cognoscitur, tanto perfectius amatur ; tertio in summa laude. Augustinus : Videbimus, amabimus et laudabimus. Is. 51, 3 : *Gaudium et lætitia invenientur in ea, gratiarum actio et vox laudis.*

2° Est in ea plena et perfecta satietas desiderii ; nam ibi habebit quilibet beatus ultra desiderata et sperata. Cujus ratio est quia nullus potest in vita ista implere desiderium suum, nec unquam aliquod creatum satiat desiderium hominis. Deus enim solus satiat et in infinitum excedit : et inde est quod non invenitur satietas nisi in Deo. Augustinus : Fecisti nos, Domine, ad te, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.

Et quia sancti in patria perfecte habebunt Deum, manifestum est quod satiabitur desiderium eorum et adhuc gloria excedet. Et ideo dicit Dominus, Matth. xxv, 21 : *Intra in gaudium Domini tui.* Augustinus : Totum gaudium non intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Ps. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, et iterum : *Qui replet in bonis desiderium tuum.*

Quidquid enim delectabile est, totum est ibi superabundanter. Si enim appetantur delectationes, ibi erit summa et perfectissima delectatio, quia de summo bono, scilicet Deo. Job., xxii, 26 : *Tunc super Omnipotentem deliciis affluies.* Ps. xv, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.*

Item si appetuntur honores, ibi erit omnis honor. Homines præcipue desiderant esse reges, quantum ad laicos, et episcopi, quantum ad clericos : et utrumque erit ibi. Apoc., v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.*

Item si scientia appetitur, ibi erit perfectissima ; quia omnes naturas rerum et omnem veritatem, et quidquid volemus sciemus, et quidquid volemus habere, habebimus in vita æterna. Sap., VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Prov., x, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.*

3° Est ibi perfectissima securitas. Nam in mundo isto non est securitas plena, quia quanto quis habet plura et majorem familiam, tanto plus timet et pluribus indiget. Sed in vita æterna nulla est tristitia, nullus labor, nullus timor. Is., XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Prov., I, 33 : *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato.*

4° Est ibi commoda omnium bonorum societas, quæ societas est maxime delectabilis bonis. Sic ergo sancti habebunt omnia bona hæc et alia ineffabilia, et quilibet diliget alium sicut seipsum. Et ideo gaudebit de bono alterius sicut de suo. Quo fit ut tantum augeatur lætitia et gaudium unius, quantum est gaudium omnium. Ps. 86, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* (*In Symbol.*)

20 Novembris

Videntium essentiam Dei unus alio perfectius videt.

Stella differt a stella in claritate. Cor., xv, 4.

1° Videntium Deum per essentiam unus alio perfectius eum videbit. Quod quidem non erit per aliquam Dei similitudinem perfectiorem in uno quam in alio, cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem, sed hoc erit per hoc quod intellectus unius habebit majorem virtutem seu facultatem ad videndum Deum quam alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam deiformitate constituit.

Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ qui plus habet de charitate; quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit et beatior erit.

(1, q. XII, a. VI.)

2° Quum finis proportionaliter respondeat his quæ sunt ad finem, oportet quod sicut aliqua diversimode præparantur ad finem, ita diversimode participent finem. Visio autem divinæ substantiæ est ultimus finis cujuslibet intellectualis substantiæ. Intellectuales autem substantiæ non omnes æqualiter præparantur ad finem : quædam enim sunt majoris virtutis et quædam minoris. Virtus vero est via ad felicitatem. Oportet igitur quod in visione divina sit diversitas quod quidam perfectius et quidam minus perfecte divinam substantiam videant.

Hinc est quod ad hanc felicitatis differentiam designandam Dominus dicit Joan., XIV : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Per hoc excluditur error dicentium omnia præmia esse æqualia. Sicut autem ex modo visionis apparet diversus gradus gloriæ in beatis, ita ex eo quod videtur apparet gloria eadem. Nam cujuslibet felicitas ex hoc est quod Dei substantiam videt, idem ergo est quod omnes beatos facit, non tamen ab eo omnes æqualiter beatitudinem capiunt.

Unde prædictis non obviat quod Dominus, Matth., XX, omnibus laborantibus in vinea, licet non æqualiter laboraverint, idem tamen præmium reddendum docet, scil. denarium : quia idem est quod omnibus datur in præmium ad videndum et ad fruendum, scilicet Deus.

(4, *Contr.*, c. LVIII.)

21 Novembris

De conversatione B. Virginis.

Flores mei fructus honoris et honestatis. Eccli., XXIV, 23.

I. — Domina nostra fuit plena gratia in omni sua conversatione. Unde in figura ipsius dicitur de Esther, 11, 15 : *Erat formosa valde et incredibili pulchritudine ; omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.* Hæc est illa Rebecca, puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro ; Gen., 24, 16. Unde ei dicitur in Cant., IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea.* Tota, dicit, quia in tantum in mente et in carne pulcherrima fuit, ut nulla unquam sibi fuerit similis.

Unde super hæc verba Cant., IV, 7 : *Tota pulchra es,* ait Bernardus : « Facie quidem pulcherrima, carne integerrima, et spiritu sanctissima. Si diligenter inspicias, nihil est speciositatis, nihilque candoris et gloriæ quod non ex ea resplendeat. » Ex hac igitur tanta plenitudine vitæ, virtutem habuit calamitæ, quia sicut calamita attra-

hit ad se ferrum, sic Virgo sancta deduxit ad se de superius Dei Verbum. Unde B. Virgo regia gemmis ornata virtutum geminantium mentis et corporis, decore præfulgida, specie sua et pulchritudine sua in cœlestibus cognita, cœlorum civium in se provocavit aspectus, ita ut Regis animum ad se inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis adduceret.

In hac igitur sanctæ conversationis gratia, etsi eam ex toto imitari non possumus, debemus tamen eam sequi quantum valemus, ut cum ea laboremus habere mentis et corporis castitatem, in adversis patientiæ firmitatem, et in bonis perseverantiæ longanimitatem. Nam et Bernardus dicit : Si vis in adversis ejus impetrare suffragium vitæ, ne deseras ipsius conversationis exemplum. (*Salutat. angel. expositio* II.)

II. — B. Virgo omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quædam : quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors ; et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sicut B. Nicolaus in exemplum misericordiæ, etc., sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum ; quia in ea reperis exemplum humilitatis : Luc., 1, 38 : *Ecce ancilla Domini*, et post : *Respexit humilitatem ancillæ suæ ;* virginitatis, *quoniam virum non cognosco*, et omnium virtutum, ut satis patet. (*Sal. angel. exp.* I.)

22 Novembris

De beatitudine.

Replebimur in bonis domus tuæ. Ps. 64, 6.

I. — Domus Dei dicitur non solum illa quam ipse inhabitat, sed etiam ipsemet, quia ipse in seipso est. Et in hac domo nos colligit. Quod autem ipse Deus sit domus, habetur II Cor. 5, 1 : *Domum habemus a Deo, non manufactam, æternam in cœlis.* Et hæc domus est gloriæ, quæ est ipse Deus. Manet autem homo in hoc loco, scilicet Deo, quantum ad voluntatem et affectum per fruitionem caritatis ; I Joan 4, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* ; et quantum ad intellectum per notitiam veritatis ; *Vado parare vobis locum.* Locus iste est ipse Deus, in quo est omnium perfectionum excellentia. Paratur vero locus, in quantum datur alicui facultas intrandi. (*In Joan.*, 14.)

II. — *Replebimur*, quia dabitur vera beatitudo, id est Deus. Impossibile est enim beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. Beatitudo est

bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum; alioquin non esset ultimus finis si adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quæ est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam.

Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur in Ps. 102, 5: *Qui replet in bonis desiderium tuum.*

Beatitudo igitur hominis in solo Deo consistit, qui est ipse universalis fons boni, universale objectum beatitudinis omnium beatorum, tanquam infinitum et perfectum bonum existens. (1, 2, q. II, a. VIII.)

Et hoc summum bonum, quanto perfectius possidetur, tanto magis amatur, et alia contemnuntur; quia quanto magis habetur, magis cognoscitur. Et ideo dicitur Eccli., 24, 29: *Qui edunt me, adhuc esurient.* Sed in appetitu divitiarum et quorumcumque temporalium bonorum est e converso. Nam quando jam habentur, ipsa contemnuntur, et alia appetuntur, unde Dominus dicit: *Qui bibit ex hac aqua*, per quam temporalia significantur, *sitiet iterum;* et hoc ideo, quia eorum insufficientia magis cognoscitur cum habentur. Et ideo hoc ipsum ostendit eorum im-

perfectionem, et quod in eis summum bonum non consistit. (1, 2, q. II, a. 1)

III. — Divina beatitudo complectitur omnem beatitudinem. Quidquid enim est desiderabile in quacumque beatitudine vel vera vel falsa, totum eminentius in divina beatitudine præexistit. Nam de contemplativa felicitate habet continuam et certissimam contemplationem sui et omnium aliorum, de activa vero gubernationem totius universi. De terrena vero felicitate quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate et fama, habet gaudium de se et de omnibus aliis pro delectatione ; pro divitiis habet omnimodam sufficientiam quam divitiæ promittunt ; pro potestate omnipotentiam ; pro dignitate, omnium regimen ; pro fama vero, admirationem totius creaturæ. (1ª q. XXVI, a. IV.)

23 Novembris

De gradibus beatitudinis.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14.

I. — Diversæ participationes beatitudinis, id

est divinæ cognitionis et fruitionis, sunt diversæ mansiones.

Perfectio beatitudinis absoluta est solius Dei, quia solus ipse tantum cognoscit se et amat quantum cognoscibilis est et amabilis, infinite enim cognoscit et amat infinitam veritatem et bonitatem suam. Et quantum ad hoc, ipsum summum bonum quod est beatitudinis objectum et causa non potest esse majus et minus : non enim est nisi unum summum bonum, quod est Deus.

Perfectio autem beatitudinis considerari potest secundum aliquas conditiones temporis, naturæ et gratiæ, et sic unus potest esse beatior alio secundum adeptionem hujus boni et capacitatem uniuscujusque hominis : quia quanto homo magis est ejus capax, tanto magis participat ipsam, in quantum est melius dispositus et ordinatus ad ejus fruitionem ; ad quod disponitur dupliciter.

Consistit enim beatitudo in duobus : in divina visione, et ad hanc disponitur per mundiliam. Et ideo quanto quis habet cor magis elevatum a terrenis, tanto magis et perfectius Deum videbit. Item in fruitionis delectatione, et ad hanc disponitur per amorem. Et ideo qui habet cor magis fervens amore Dei, magis delectabitur in divina fruitione.

II. — Sed quæritur de hoc quod dicitur Matth., 20, quod unus denarius datur omnibus laboran-

tibus. Hic autem denarius nihil aliud est quam mansio in domo Patris. Non ergo sunt multæ mansiones.

Dicendum quod merces vitæ æternæ et una est et multæ. Multæ quidem secundum diversam capacitatem participantium, secundum quam sunt diversæ mansiones in domo Patris ; una vero tripliciter :

1° Propter unitatem objecti. Idem enim est quod omnes beati vident, et quo omnes fruuntur ; et ideo unus denarius : sed diversimŏde videbitur et amabitur. Et simile est ac si aliquis præberet alicui fontem, ut ad libitum omnes biberent. De quo qui majus vas haberet, plus acciperet, et qui minus, minus. Unus ergo fons ex parte sua est, sed non eadem mensura recipientium.

2° Propter eamdem æternitatis mensuram, secundum Augustinum, quia omnes habebunt æternam beatitudinem quia ibunt justi in vitam æternam ; sed diversæ sunt propter capacitatem.

3° Propter caritatem, quæ omnia unit, gaudia singulorum faciens omnium, et e converso. Rom. 12, 15: *Gaudere cum gaudentibus.*

(*In Joan.* XIV.)

24 Novembris

De perfectæ beatitudinis inamissibilitate.

Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc., 10, 42.

Origenes posuit quod post ultimam beatitudinem homo potest fieri miser. Sed hoc manifeste apparet esse falsum.

1° Ex ipsa communi ratione beatitudinis. Cum enim ipsa beatitudo sit perfectum bonum et sufficiens, oportet quod desiderium hominis quietet, et omne malum excludat. Naturaliter autem homo desiderat retinere bonum quod habet, et quod ejus retinendi securitatem obtineat. Alioquin necesse est quod timore amittendi vel dolore de certitudine amissionis affligatur. Requiritur igitur ad veram beatitudinem quod homo certam habeat opinionem bonum quod habet nunquam se amissurum. Quæ quidem opinio si vera sit, consequens est quod beatitudinem nunquam amittet ; si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddam malum, falsam opinionem habere. Nam falsum est malum intellectus, sicut verum est bo-

num ipsius. Non igitur jam vere erit beatus, si aliquod malum ei inest.

2° Idem apparet, si consideretur ratio beatitudinis in speciali. Perfecta enim beatitudo hominis in visione divinæ essentiæ consistit. Est autem impossibile quod aliquis videns divinam essentiam velit eam non videre. Quia omne bonum habitum quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, et quæritur aliquid sufficientius loco ejus; aut habet aliquod incommodum annexum, propter quod in fastidium venit. Visio autem divinæ essentiæ replet animam omnibus bonis, cum conjungat fonti totius bonitatis. Unde dicitur : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et Sap., 7 dicitur : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, scilicet cum contemplatione sapientiæ. Similiter etiam non habet aliquod incommodum adjunctum, quia de contemplatione sapientiæ dicitur : *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus.* Sic ergo patet quod propria voluntate beatus non potest beatitudinem deserere.

3° Similiter etiam non potest eam perdere Deo subtrahente. Quia cum subtractio beatitudinis sit quædam pœna, non potest talis subtractio a Deo justo judice provenire nisi pro aliqua culpa in quam cadere non potest qui Dei essentiam videt, cum ad hanc visionem ex necessitate sequatur rectitudo voluntatis.

4° Similiter etiam nec aliquod aliud agens potest eam subtrahere : quia mens Deo conjuncta super omnia alia elevatur, et sic ab hujusmodi conjunctione nullum aliud agens potest ipsam excludere. Unde inconveniens videtur quod per quasdam alternationes temporum transeat homo de beatitudine ad miseriam et e converso, quia hujusmodi temporales alternationes esse non possunt, nisi circa ea quæ subjacent tempori et motui.

(1ª 2, q. V, a. v.)

25 Novembris

De quadruplici visione Domini.

Nonne Christum Dominum nostrum vidi? I Cor., 9.

Notandum quod multiplicem Domini legimus visionem. Unam corporalem quæ præteriit. Baruch., 3. *Posthæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est;* secundam spiritualem quæ præsens est. Ps., 45 : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus;* tertiam æternalem quæ fu-

tura est, de qua Joan., 17 : *Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam ;* quartam momentaneam quæ etiam futura est, de qua Luc, 21 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube.* Prima fuit in mundo, secunda in animo, tertia in cœlo erit, quarta erit in judicio.

Prima visio dat exemplum vivendi, tripliciter, quia visus est pauper et pannosus, ut refrenetur cupiditas divitiarum. Ps. 68 : *Ego sum pauper et dolens.* Et ibidem : *Videant pauperes et lætentur.* Sic viderunt pastores. Vilis et abjectus, ut refrenetur ambitio honorum. Isa., 53 : *Vidimus eum et non erat aspectus.* Afflictus et passus, ut refrenetur concupiscentia voluptatum.

Secunda visio dat adjutorium proficiendi tripliciter, quia dat robur pœnitentibus culpas et pœnas ostendendo sicut sol atomis ; dat spem certantibus mercedem manifestando, sicut Dominus operanti ; dat lætitiam contemplantibus prægustationes offerendo, sicut tabernarius modicum vini. Ps. 33 : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.*

Tertia visio æternalis dat desiderium perveniendi propter tria. Propter veram jucunditatem : *Videbitis et gaudebit cor vestrum, quia dulce lumen et delectabile.* Propter jucunditatis multiplicitatem sive pluralitatem. Isa., 60 : *Tunc vide-*

bis et affluës et dilatabitur cor tuum. Quia *videbimus eum sicuti est, et ipse erit omnia in omnibus.* Erit enim rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Propter jucunditatis æternitatem. *Servi ejus servient illi et videbunt faciem ejus et regnabunt in sæcula sæculorum.*

Quarta visio dat odium sive terrorem peccandi propter tria. Propter furtum propalandum coram judice vidente. Malach., 3 : *Ecce veniet, et quis stabit ad videndum eum?* Propter malefactorum severam ultionem. Latro enim videns socium suum suspendi, plus timet furari. Propter visam bonorum præmiationem. Ps. 106 : *Videbunt justi et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.*

(*In I Cor.*, IX.)

26 Novembris

De æterno gaudio.

Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. Matth., XXV.

I. — Ista pauca sunt omnia quæ reperiuntur in vita præsenti, quia quasi nihil sunt in comparatione ad cœlestia. Unde vult dicere : quia fuisti fidelis ratione bonorum quæ sunt præsentis vitæ, *super multa te constituam*, id est dabo tibi spiritualia quæ sunt super omnia bona ista. Luc., 16, 10 : *Qui fidelis est in minimo et in majore fidelis est.*

II. — Sequitur magnitudo præmii : *Intra in gaudium Domini tui.* Gaudium enim est præmium. Joan., 16, 22 : *Videbo vos et gaudebit cor vestrum.*

Et posset dicere aliquis : Nonne visio est præmium vel aliquod aliud bonum? Dico quod si alia res dicitur præmium, gaudium tamen est finale præmium. Sicut possem dicere, quod est finis gravium locus inferior; item quiescere in illo loco, et illud est magis principale. Sic gaudium nihil aliud est quam quies animi in bono adepto. Unde ratione finis dicitur gaudium præmium.

Et quare dicit : *Intra in gaudium*, non accipe? Dicendum quod duplex est gaudium, de bonis exterioribus et de bonis interioribus. Qui gaudet de bonis exterioribus, non intrat in gaudium, sed intrat gaudium in ipsum. Qui autem gaudet de spiritualibus, intrat in gaudium. Cant., 1, 5 : *Introduxit me rex in cellaria sua.*

Vel aliter. Quod est in aliquo continetur ab

illo, et continens majus est. Quando ergo gaudium est de aliquo quod minus est quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum. Sed Deus major est corde, ideo qui gaudet de Deo, intrat in gaudium.

Item intrat *in gaudium Domini*, id est de Domino, quia Dominus veritas est. Unde nihil aliud est beatitudo quam gaudium veritatis.

Vel sic. *Intra in gaudium Domini tui* id est de eo gaude, quo gaudet, et de quo gaudet Dominus tuus, scilicet de fruitione sui ipsius. Tunc ergo gaudet homo ut Dominus, cum fruitur ut Dominus. Unde dicit Dominus Apostolis : *Posui vos ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, id est ut sitis beati in quo sum beatus.* (*In Matth.*, XXV.)

III. — Et hoc gaudium erit plenum : *petite ut gaudium vestrum sit plenum.* Cum desiderium sit motus in bonum et gaudium quies ejus in eo, gaudet homo quando quiescit in bono jam habito, ad quod desiderium movebatur. Sed gaudium proportionatur bono habito, et de bono creato non potest haberi gaudium plenum, quia non quietat plene desiderium et appetitum hominis. Tunc ergo gaudium nostrum erit plenum quando habebimus bonum illud in quo superabundanter sunt bona quæ desiderare possumus. Et hoc bonum est solus Deus, qui replet in bonis desiderium nostrum. Ideo dicit : *Petite illud ut*

gaudium vestrum sit plenum, scilicet frui Deo et Trinitate, quo amplius non est. Ps. 15, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* (*In Joan.*, XVI et 2, 2, q. XXVIII, a. III.)

27 Novembris

De ingrediendo festinanter in requiem.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem. Hebr. 4.

I. — Sicut in veteri lege sabbatum repræsentabat requiem Dei ab operibus suis, ita requies erit sanctorum ab operibus suis, scilicet æterna. Apoc. 14 : *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Unde subdit : *Qui enim ingressus est in requiem ejus*, quia sicut Deus sex diebus operatus est et septima requievit, ita per sex dies præsens tempus significatur. Qui ergo perfecte operatur, in septima *requiescit ab operibus suis, sicut et a suis Deus*, non autem a quibuscumque operibus, quia sunt ibi quædam opera perpetua, videre scilicet, amare et laudare ;

Apoc. 4 : *Non habebant requiem nocte ac die, dicentia sanctus, sanctus, sanctus,* sed ab operibus laboriosis.

II. — Festinandum. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Signanter dicit *ingredi*, quia non est in bonis exterioribus ad quæ est egressus, sed in bonis interioribus. Exod., 15 : *Introduces eos et plantabis*, etc.

Est ergo multiplex ratio quare festinandum est intrare.

Una est quia longinqua est via. Luc.,19 : *Homo nobilis abiit in regionem longinquam.* Dicitur autem longinqua propter distantiam status, quia ibidem plenitudo omnis boni et immunitas ab omni malo ; est etiam desideranti perfecta visio et tentio ; hic autem sunt omnia contraria istis.

Item festinandum, quia tempus est valde breve. Job.,14 : *Breves dies hominis sunt.*

Item quia istud tempus, cum hoc quod est breve et modicum, est etiam incertum. Eccle. 9 : *Nescit homo finem suum.*

Item propter urgentem vocationem. Interior enim vocatio urget nos per stimulum charitatis. Isa., 59 : *Cum venerit, quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit.* I Cor. 5 : *Charitas Christi urget nos.* Ps. 118 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

Item propter periculum tardantis, sicut patet de fatuis virginibus, quæ tarde venientes intrare

non potuerunt. Et ideo dicit : *Ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum*, quasi dicat : antiqui non potuerunt ingredi propter incredulitatem. Unde caveamus alienæ culpæ exemplo, ne simus increduli, et exemplo pœnæ, ut scilicet non excludamur sicut ipsi.

III. — Quomodo festinandum.

Docet apostolus I Cor., 9, dicens quod *qui currit et qui certat ab omnibus se abstinet.* Festinandum est ergo deponendo impedimenta, non solum ut abstineamus a peccatis, sed etiam ut occasiones peccatorum vitemus. Prov. 4 : *Ducam te per semitas æquitatis, et currens non habebis offendiculum.*

Sed contra Prov. 19 : *Qui festinus est pedibus offendet.* Respondeo : duplex est festinantia, scilicet præcipitationis, et hæc est reprehensibilis, alia celeritatis, et hæc est laudabilis. Non sicut dicit Phil., omnes homines oportet consiliari diu, operari autem consiliata festinanter. Quando ergo festinantia tollit consilium, tunc præcipitat et est vitiosa, sed festinantia quæ est in executione consiliatorum, est virtuosa et laudatur, et ad hanc hortatur hic Apostolus.

(*In Hebr.*, IV.)

28 Novembris

De Cœna magna.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc., XIII.

Per cœnam istam intelligitur beatitudo cœlestis.

I. — Dicitur magna propter celebrantium ipsam cœnam multiplicitatem.

1° Ratione facientium, qui sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus : immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, et ideo immensam faciunt cœnam. Isa., XXV : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.*

2° Ratione ministrantium qui sunt millia millium.

3° Ratione convivantium qui erunt decies centena millia.

II. — Dicitur magna propter ferculorum quæ

ibi dabuntur copiositatem. Erunt enim ibi millia millium ferculorum. Fercula in vita æterna sunt gaudia,et quia sunt ibi millia millium gaudiorum, erunt ibi millia millium ferculorum. Possumus autem assignare tria magna fercula, gaudium de omnium malorum absentia, gaudium de omnium bonorum præsentia, et continuam de divina laude lætitiam. De his tribus Augustinus : O quanta erit illa felicitas, ubi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, et Deus erit omnia in omnibus.

III. — Dicitur magna propter ipsius cœnæ æternitatem. Est enim æterna, quia

1° Nunquam terminabitur. Joan., XVI : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

2° Nunquam a cœnando cessabitur. Apoc., IV : *Requiem non habebant die ac nocte dicentia : Dominus Deus omnipotens qui est et qui erat et qui venturus est.* Laudare enim ibi est idem quod cœnare.

3° Cœna dicitur æterna,quia tota simul manducabitur. Æternitas est vitæ beatæ possessio tota simul.

(*Serm.* LXXXI.)

PRO EXERCITIIS SPIRITUALIBUS

De voce Dei vocante.

Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ. Apoc., 1, 10.

Hæc vox est vocatio Domini quæ vocat et revocat nos fugientes ab eo. Isa., 32 : *Aures meæ audiunt verbum post tergum monentis.* Zach., 7 : *Revertere sunamitis*, id est captiva anima ; *revertere, revertere,ut intueamur te.* Quare dictum est *revertere, revertere* ? Ut scilicet in pueritia, in juventute,in senectute,in senio. Vel quia quatuor faciunt a Deo fugere : confidentia juventutis, ii fugiunt ad orientem ; dilatio mortis, ii ad occidentem ; amor prosperitatis, ii ad meridiem ; timor adversitatis, ii ad aquilonem.

Ideo clamat Dominus : Revertere ab oriente, quia juvenis cito moritur. Revertere ab occidente, quia senex diu non vivit, et quando homo a Deo fugit, diu vivere non potest. Revertere a meridie, quia prosperitas mundi *cito transit.* I Joan., 2. Revertere ab aquilone, quia adversitas mundi non potest nocere nisi volenti.

Magna dicitur vox, quia magnus vocat et ad magna.

Vocat autem quadrupliciter Dominus : prædicando, beneficia dando, inspirando, flagellando. Et hæc quatuor notantur apud Prov., 1 : *Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

Tanquam tubæ, quæ vocat ad convivium spirituale, ubi anima reficitur. Isa., 25 : *Faciet Dominus in omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ ; pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

(*In Apoc.*, 1).

De prima charitate recuperanda.

1° *Habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti.* Apoc., 2, 4.

Charitatem tuam primam, id est statum tuæ primæ charitatis quando fervebas, *reliquisti* tependo, nimio tædio affectus. Sic multi cum deberent proficere ascendendo de bono in melius deficiunt descendendo de alto in imum, similes statuæ Nabuchodonozor, Dan., 2 ; Cujus erat caput au-

reum, pectus argenteum, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis.

2° *Memor esto itaque unde excideris*, id est a quo statu vel dignitate et per quid ; quia modico impulsu venti, id est modica tentatione. Isa., 64 : *Cecidimus quasi folium universi.* Sed quilibet peccat consideret et unde excidat et ubi et per quid. Unde, id est a cœlo ubi erat spe et cogitatione et merito. Ubi, id est in terram, quia nihil cogitat nisi terrenum. Per quid, per superbiam. Isa., 14 : *Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris ? corruisti in terram.* Ideo dicitur peccatori, Baruch., 3. *Quid est Israel quod in terra inimicorum es ? Inveterasti in terra aliena : coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.*

3° *Et age pœnitentiam, et prima opera fac.* Jer., 2 : *Vide vias tuas in convalle et scito quid feceris et age pœnitentiam* dolendo corde, confitendo ore, satisfaciendo opere : quæ sunt tres dietæ pœnitentium revertentium ad eum et fugientium de Ægypto. Ex. v : *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus trium dierum viam in solitudine.* Gen., 40 : *Tres dies adhuc sunt post quos recordabitur Pharao ministerii tui et restituet te in gradum pristinum.*

Per quod patet quod per veram pœnitentiam

ablata restituuntur. Dicit : *age pœnitentiam*, non solum suscipe. Multi enim suscipiunt, sed minime faciunt, boni promissores, sed mali redditores.

Pœnitentia facit appropinquare regnum cœlorum. Facit etiam Angelos gaudere. Valet etiam ad recuperandam Dei amicitiam. Facienda est igitur instanter, quia nec opus ad merendum, nec ratio ad excusandum, nec scientia ad conversandum, nec sapientia ad delectandum erit apud inferos quo tu properas, si non intentione, tamen operatione.

4° *Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo.*

Sin autem, id est si non pœnitueris et ad priorem statum redieris, *venio* in morte vel in judicio. *Tibi* id est propter te puniendum in corpore et anima. *Cito*, hoc dicit, ut celeritas et improvisio adventus timorem et sollicitudinem incutiant. I Thess., v : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Et movebo candelabrum tuum*, id est auferam dona et virtutes, per quæ constituta sunt candelabra ; vel te ab ecclesia tua separabo, et alium in loco tuo collocabo. *Movebo de loco suo*, id est de loco virtutis tuæ et societate fidelium amovebo.

(*In Apocalyps.*, II.)

De morte secunda.

Qui vicerit non lædetur a morte secunda. Apoc., 2, 11.

I. — Duplex est mors animæ, una in peccatis, altera in pœnis ; una in culpa, alia in gehenna. Similiter est duplex mors corporis, una in dissolutione, alia in æterna damnatione.

Assimilatur prima mors animæ primæ morti corporis in multis. Sicut enim corpus primo distemperatur, postea infirmatur, deinde moritur, postea effertur, postea sepelitur, deinde lapide operitur ; ita anima primo distemperatur per malam cogitationem, postea infirmatur per noxiam delectationem, postea moritur per consensum, postea effertur per operis efficaciam, postea sepetitur per consuetudinem ; ad ultimum operitur per obdurationem.

II. — Item sicut mors corporis lædit, ita et mors animæ.

Mors corporis separat ab anima ipsum, et mors animæ separat ipsam a Deo.

Mors corporis separat a parentibus et amicis

carnalibus et mors animæ ab angelis et a Sanctis. Job., 30 : *Fratres meos*, id est angelos, *longe fecit a me, et noti mei*, id est sancti, *quasi alieni recesserunt a me ; dereliquerunt me propinqui mei, et qui noverunt me, obliti sunt mei*. Et non solum dereliquerunt angeli animam peccatricem, sed fiunt adversarii et stabunt contra ipsam in judicio. Thren. I : *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici*.

Mors corporis facit amittere divitias mundi, et mors animæ aufert divitias cœli. Thren. *Hæreditas nostra versa est ad alienos*.

Mors corporis privat visum corporalem, et mors animæ visum et omnem sensum spiritualem.

Mors corporis dolorem facit, et mors animæ majorem. Præterea mors animæ lædit quia mittit in ignem æternum. Lædit propter pœnarum acerbitatem, diversitatem, perennitatem : quæ tria notantur in illo verbo Ps. *Tu Deus deduces eos in puteum interitus*. Diversitas notatur cum dicit *Deduces* id est de pœna ad pœnam duces ; perennitas vero, cum dicit *in puteum*, unde exire non potest qui semel illic ceciderit.

III. — Item mors animæ lædit graviter, immisericorditer, insanabiliter. Jer., 30 : *Plagam inimiam pertransite castigatione crudeli*.

Tamen ista læsio, quamdiu anima est in corpore, sanabilis est, sed postquam exiet a corpore, fiet insanabilis.

Quicumque igitur non vult lædi a secunda morte, quærat hic sanari a læsione primæ mortis, et ostendat samaritano plagas suas, qui curabit eas infundens vinum compunctionis, et oleum consolationis. III Reg., 8 : *Si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo hæreditatis tuæ et propitiaberis.* Augustinus : suntne viscera christianæ miserationis in te, qui plangis corpus a quo recessit anima, et animam a qua recessit Deus, non plangis ?

(*In Apoc.*, II.)

De statu perfectionis.

I. — Vita religiosa importat statum perfectionis.

Id quod communiter multis convenit, antonomastice attribuitur ei cui per excellentiam convenit. Sicut nomen fortitudinis vindicat sibi illa virtus quæ circa dificillima firmitatem animi servat ; et temperantiæ nomen vindicat sibi illa virtus quæ temperat maximas delectationes. Religio autem est quædam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holo-

caustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit : Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant ; sed sensum, linguam, vitam atque substantiam quam perceperunt omnipotenti Deo immolant.

In hoc autem perfectio hominis consistit quod totaliter Deo inhæreat, et secundum hoc religio perfectionis statum nominat. Exhibere quidem aliquid ad cultum Dei est de necessitate salutis, sed quod aliquis se totaliter et sua divino cultui deputet, ad perfectionem pertinet.

Et sciendum quod ad religionem pertinent non solum oblationes sacrificiorum, et alia hujusmodi quæ sunt religioni propria, sed etiam actus omnium virtutum, secundum quod referuntur ad Dei servitium et honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundum hoc si quis totam vitam suam divino servitio deputet, tota vita ipsius ad religionem pertinet, et secundum hoc ex vita religiosa quam ducunt religiosi dicuntur, qui sunt in statu perfectionis.

Et licet sit status perfectionis, est etiam aptissimus pœnitentiæ locus. Religionis enim status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis, multo magis exciduntur occasiones peccati. Unde cum ad pœnitentiam pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti status religionis est convenientissimus pœnitentiæ locus.

II. — Non tamen requiritur ut religiosus sit de facto perfectus. Religio enim nominat statum perfectionis ex intentione finis. Unde non oportet quod quicumque est in religione jam sit perfectus, sed quod ad perfectionem tendat. Ille enim qui transit ad religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur se adhibere studium ad perfectionem consequendam. Sicut etiam ille qui intrat scholas, non profitetur se scientem, sed profitetur se studentem ad scientiam acquirendam. Et ideo religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. I et II, 1[m].)

De utilitate votorum.

Vovete et reddite Domino Deo vestro. Ps. 75, 12.

Facere idem opus cum voto est melius et magis meritorium quam facere sine voto, et hoc triplici ratione.

1° Quia vovere est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius et magis meritorium. Unde

actus inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cujus actus fit per imperium, sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur a charitate. Et ideo opera aliarum virtutum moralium puta jejunare, quod est actus abstinentiæ, et continere, quod est actus castitatis, sunt meliora et magis meritoria, si fiant ex voto, quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam sacrificia.

Unde Augustinus dicit quod neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur; quam fovet et conservat continentia pietatis.

2° Quia ille qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subjicit, quam ille qui solum facit. Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere; sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus quam qui daret ei fructus tantum.

Et inde est quod non solum dantibus, sed etiam promittentibus gratiæ aguntur.

3° Quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis; sicut etiam peccare mente obstinata aggravat peccatum, et dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

(2, 2, q. LXXXVIII, a. VI.)

De bono usu temporis.

Dedit illi Deus tempus et locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam. Job., XXIV.

I. — Modo tempus nostrum est, quia possumus facere quod volumus, sive bonum sive malum. Reliquit enim Deus hominem in manu consilii sui : et ita ante hominem vita et mors, bonum et malum ; quod voluerit dabitur ei.

Sed aliquando accipiet Deus tempus suum, et tunc non poterimus facere quod voluerimus, sed quod meruerimus accipiemus. Ideo dicitur Eccle., IX, : *Quodcumque potest manus tua, instanter operare.*

II. — Dat autem nobis Dominus tempus in spatium, in auxilium, in documentum, in monumentum.

In spatium, quod possumus ad eum reverti. Isa., XXX : *Expectat nos Dominus ut misereatur nostri.* Ergo quæramus Dominum dum inveniri potest, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ et invenire non possimus.

Item in auxilium, quia qualitas temporis juvat

nos ad pœnitentiam faciendam si volumus, nam modo calor, modo frigus, modo ventus, modo pluvia affligit nos. Quod si patienter suscipimus, pœnitentiam perficimus. Si autem murmuramus, sicut modo tempus est pro nobis, ita in judicio erit contra nos. Thren., I : *Vocavit adversum nos tempus.* Unde Bernardus : sicut nec capillus de capite, ita nec momentum de tempore peribit.

Item in documentum : quia sicut post diem quo laborant homines venit nox qua quiescunt, ita post hanc vitam venit mors : unde qui laboraverint in hac vita pro Christo, quiescent postea cum eo. Sed qui non laborat, imo quiescit in die in domo laborabit in nocte. Item sicut post laborem in nocte redditur merces, ita post hanc vitam reddet Christus operariis suis mercedem suam.

Item in monumentum : quia de die monet nos timere tenebras inferni, de quibus nemo exibit si semel ibi erit. Et mutatio temporis monet et monstrat omnia mutabilia, nec debere in illis mentem figere.

III. — *Dedit illi tempus* id est temporis seu ætatis partes, pueritiam, adolescentiam, juventutem, senectutem, ut ageret pœnitentiam in illis. A prima enim parte esset incipienda pœnitentia. Eccle., XI : *Mane semina semen tuum,* id est in pueritia, *et vespere non cesset manus tua,* id est in senectute. Sed pauci sunt qui velint facere pœnitentiam in pueritia vel adolescentia nec in ju-

ventute, et in senectute non possunt, et ita perditur totum tempus. Dum sunt juvenes nolunt; quando sunt senes, non possunt. De quibus Isa., XXXVII : *Venerunt filii usque ad partum et virtus non est pariendi.* Luc., XXI : *Væ prægnantibus et nutrientibus in diebus illis.*

Bonum est igitur pœnitere quando potestas est in voluntate, quia veniet tempus quando potestas omnis bene agendi subtrahetur.

(*In Apoc.* 11.)

An paupertas requiratur ad perfectionem religionis.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus et veni, sequere me. Matth., XIX, 21.

I. — Status religionis est quoddam exercitium et disciplina per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est quod aliquis affectum suum totaliter abstrahat a rebus mundanis. Dicit enim Augustinus, ad Deum loquens : Minus te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Unde dicit etiam quod nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis ; perfectio nulla cupiditas. Ex hoc autem quod ali-

quis res mundanas possidet, allicitur animus ejus ad earum amorem. Unde Augustinus dicit quod terrena diliguntur arctius adepta quam concupita. Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt; aliud jam incorporata divellere : illa velut extranea repudiantur; ista vero veluti membra præciduntur. Et Chrysostomus dicit quod appositio divitiarum majorem accendit flammam, et vehementior fit cupido.

Et inde est quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente Domino : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.*

II. — Et quamvis eleemosyna sit opus maxime Deo acceptum, tamen paupertas qua excluditur eleemosynarum largitio pertinet ad perfectionem religionis, quia abrenuntiatio divitiarum comparatur ad eleemosynarum largitionem sicut universale ad particulare, et holocaustum ad sacrificium. Unde Gregorius dicit quod illi qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant, et aliquid sibi reservant : qui vero nihil sibi reservant, offerunt holocaustum quod est majus sacrificio.

Unde et Hieronymus contra Vigilantium dicit : quod autem asseris, eos melius facere qui utun-

tur rebus suis et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, non a me tibi, sed a Domino respondetur: *Si vis perfectus esse*, etc.

Et addit: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare et absolutum sollicitudine egere cum Christo.

(2, 2, q. LXXXVI, a. III.)

An obedientia pertineat ad perfectionem religionis.

Perfectio religionis maxime consistit in imitatione Christi secundum illud Matth., XIX, 21 : *Si vis perfectus esse... sequere me.* Sed in Christo maxime commendatur obedientia, secundum illud Phil., II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem.*

I.— Status religionis est quædam disciplina vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruantur vel exercitentur, ut perveniant ad illum finem, quasi discipuli sub magistro. Et ideo oportet quod religiosi in his quæ pertinent

ad religiosam vitam, alicujus instructioni et imperio subdantur. Imperio autem et alterius instructioni subjicitur homo per obedientiam ; et ideo obedientia requiritur ad religionis perfectionem.

Sicut Philosophus dicit : homines exercitantes se in operibus perveniunt ad aliquos habitus quos cum acquisierint, eosdem actus maxime possunt operari. Sic ergo obediendo, illi qui non sunt perfectionem adepti, ad perfectionem perveniunt; illi autem qui jam sunt perfectionem adepti, maxime prompti sunt ad obediendum, non quasi indigentes dirigi ad perfectionem acquirendam ; sed quasi per hoc se conservantes in eo quod ad perfectionem pertinet.

II. — Et licet opera ex obedientia facta fiant ex quadam necessitate, scilicet præcepti, sunt tamen Deo maxime accepta ; quia necessitas coactionis facit quidem involuntarium et ideo excludit rationem laudis et meriti, sed necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire, licet forte non vellet id quod mandatur secundum se consideratum implere.

Et ideo quia necessitati aliqua faciendi quæ secundum se non placent per votum obedientiæ homo se subjicit propter Deum, ex hoc ipso ea quæ facit sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora, quia nihil majus potest homo Deo dare quam quod propriam voluntatem propter ipsum

voluntati alterius subjiciat. Unde in collationibus dicitur deterrimum genus monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes absoluti a seniorum jugo, habent libertatem agendi quid libitum fuerit.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. v.)

Requiritur ad perfectionem religionis quod paupertas, continentia et obedientia cadant sub voto.

Ad religiosos pertinet quod sint in statu perfectionis.

Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis : quæ quidem Deo fit per votum.

Manifestum est autem quod ad perfectionem christianæ vitæ pertinent paupertas, continentia et obedientia. Et ideo religionis status requirit ut ad hæc tria aliquis voto obligetur. Unde Gregorius dicit : Cum quis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est; quod quidem pertinere postea dicit ad eos qui præsens sæculum deserunt.

Ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque,

sed ut ulterius retro non abiret. Unde et ipse dicit Luc., IX, 62 : *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.* Hæc autem immobilitas sequelæ Christi firmatur per votum.

Insuper, perfectio religionis requirit, sicut Gregorius dicit, ut aliquis omne quod vovit Deo exhibeat. Sed homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere, quia non est tota simul, sed successive agitur. Unde non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere nisi per voti obligationem.

Inter alia quidem quæ licet nobis impendere est etiam propria libertas, quam homo cæteris rebus chariorem habet. Unde cum aliquis propria sponte voto sibi adimit libertatem abstinendi ab his quæ ad Dei servitium pertinent, hoc fit Deo acceptissimum. Unde Augustinus dicit : Non te vovisse pœniteat ; imo gaude jam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas quæ in meliora compellit.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. VI.)

Convenienter dicitur in tribus votis consistere religionis perfectionem.

Religionis status potest considerari tripliciter, uno modo, secundum quod est quoddam exerci-

tium tendendi in perfectionem charitatis ; alio modo, secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus, secundum illud I Cor., VII, 32 : *Volo vos sine sollicitudine esse ;* tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Et secundum hoc ex his tribus votis integratur religionis status.

1° Quantum ad exercitium perfectionis requiritur quod aliquis a se removeat illa per quæ posset impediri ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria : cupiditas exteriorum bonorum quæ tollitur per votum paupertatis ; concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ ; inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ.

2° Sollicitudinis sæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria : circa dispensationem exteriorum rerum, et hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur : circa gubernationem uxoris et filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ ; circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit.

3° Holocaustum est, cum aliquis totum quod

habet offert Deo. Habet autem homo triplex bonum, primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis.

Secundo bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis.

Tertium bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animæ.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. VIII.)

Votum obedientiæ est potissimum inter tria vota religionis.

S. Gregorius dicit : Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Sed vota religionis sunt quædam holocausta. Ergo votum obedientiæ est præcipuum inter omnia religionis vota. Et hoc triplici ratione.

1° Quia per votum obedientiæ aliquid majus homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior quam corpus proprium, quod offert

homo Deo per continentiam, et quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Unde illud quod fit ex obedientia est magis Deo acceptum quam id quod fit per propriam voluntatem, secundum illud Hieronymi ad Rusticum monachum : Ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, et post pauca subdit : Non facias quod vis ; comedas quod juberis ; habeas quantum acceperis ; vestiaris quod datur. Unde et jejunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate, secundum illud Isa., 58, 3 : *Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra.*

2° Quia votum obedientiæ continet sub se alia vota, sed non e converso. Nam religiosus, etsi teneatur ex voto continentiam servare et paupertatem ; tamen hæc etiam sub obedientia cadunt, ad quam pertinent multa alia præter continentiam et paupertatem servare.

3° Quia votum obedientiæ proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est.

Et inde est quod votum obedientiæ est religionis essentialius. Si enim aliquis absque voto obedientiæ voluntariam paupertatem et continentiam etiam voto servet, non propter hoc pertinet ad statum religionis, qui præfertur etiam ipsi virginitati ex voto observatæ.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. VIII.)

De peccato religiosorum et sacerdotum.

De peccatis eorum qui sunt in statu sanctitatis et perfectionis maxime videtur esse dolendum. Dicitur enim Jerem., xxiii, 9. *Contritum est cor meum in medio mei;* et postea subdit : *Propheta namque et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum.* Ergo religiosi et alii qui sunt in statu perfectionis, cæteris paribus, gravius peccant.

I. — Peccatum enim quod a religiosis committitur, potest esse gravius peccato secularium ejusdem speciei tripliciter :

1° Uno modo, si sit contra votum religionis, puta si religiosus fornicetur vel furetur, quia fornicando facit contra votum continentiæ et furando facit contra votum paupertatis, et non solum contra præceptum divinæ legis.

2° Si ex contemptu peccet, quia ex hoc videtur esse magis ingratus divinis beneficiis, quibus est sublimatus ad statum perfectionis. Sicut Apostolus dicit ad Hebr., x, quod fidelis graviora mere-

tur supplicia ex hoc quod peccando Filium Dei conculcat per contemptum. Unde et Dominus conqueritur Jer., XI, 15 : *Quid est quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa ?*

3° Peccatum religiosi potest esse majus propter scandalum, quia ad vitam ejus plures respiciunt. Unde dicitur Jer., XXIII, 14 : *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium et iter mendacii ; et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua.*

II. — Tunc vero committit vel transgreditur aliquis ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ ; et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa. Etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simile peccatum iteret : sicut et Augustinus dicit quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ.

Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum, secundum illud Prov., XVIII, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

(2, 2, q. CLXXXVI, a. X.)

Quomodo religiosus levius peccet et facilius resurgat.

Si religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate vel ex ignorantia aliquod peccatum quod non est contra votum suæ professionis, committat absque scandalo, puta in occulto, levius peccat eodem genere peccati quam secularis, quia peccatum ejus si sit leve quasi absorbetur ex multis operibus bonis quæ facit; et si sit mortale, facilius ab eo resurgit.

I. — Primo quidem propter intentionem quam habet rectam ad Deum; quæ etsi ad horam intercipiatur de facili ad pristina reparatur. Unde super illud Ps., 36 : *Cum ceciderit, non collidetur*, dicit Origenes : Injustus, si peccaverit, non pœnitet, et peccatum suum emendare nescit. Justus autem scit emendare, scit corrigere, sicut ille qui dixerat : *Nescio hominem*, paulo post cum respectus fuisset a Domino, flere scit amarissime; et ille qui de tecto mulierem viderat, et concupierat eam, dicere scit : *Peccavi et malum coram te feci.*

2° Juvatur etiam a sociis ad resurgendum, se-

cundum illud Eccle., IV, 10 : *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.*

II. — Justi quidem non de facili peccant ex contemptu : sed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia vel infirmitate, a quo de facili relevantur.

Si autem perveniant ad hoc quod ex contemptu peccant, efficiuntur pessimi et maxime incorrigibiles, secundum illud Jer., II, 20 : *Confregisti jugum, dirupisti vincula, dixisti : non serviam. In omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.*

Unde Augustinus dicit : Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt.

(2, 2, q. CLXXXVI, a. X.)

De operibus vitæ activæ.

I. — Religiosi qui circa opera vitæ activæ occupantur non discedunt a vero conceptu religionis. Religionis enim status ordinatur ad perfectio-

nem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei et proximi. Ad dilectionem autem Dei directe pertinet contemplativa vita quæ soli Deo vacare desiderat ; ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth., xxv, 40. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Unde et hujusmodi obsequia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam secundum Hebr. : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.* Ad religionem vero proprie pertinet sacrificium Deo offerre.

II. — Non privantur fructu vitæ contemplativæ.

Perfectio quidem religiosi status consistit in contemplatione divinorum, dicente Dionysio quod nominantur ex Dei puro servitio et famulatu et singulari vita uniente eos invisibilium sanctis contemplationibus. Sed Dei servitium et famulatus salvatur etiam in operibus vitæ activæ, quibus aliquis servit proximo propter Deum in quibus etiam salvatur singularitas vitæ, non quantum ad hoc quod homo cum hominibus non conversetur, sed quantum ad hoc quod homo singulariter his intendat quæ ad divinum obsequium spectant. Et

dum religiosi operibus vitæ activæ insistunt intuitu Dei, consequens est quod in eis actio ex contemplatione divinorum derivetur. Unde non privantur omnino fructu contemplativæ vitæ.

III. — Non sunt in sæculo. Dupliciter aliquis potest esse in seculo : uno modo per præsentiam corporalem ; alio modo per mentis affectum. Unde et discipulis suis Dominus dixit Joan., xv, 19 : *Ego elegi vos de mundo* : de quibus tamen ad Patrem loquitur dicens Joan., xvii, 2 : *In mundo sunt, et ego ad te venio.* Quamvis ergo religiosi qui circa opera vitæ activæ occupantur, sint in sæculo secundum præsentiam corporalem, non tamen sunt in sæculo quantum ad mentis affectum, quia in exterioribus occupantur, non quasi quærentes aliquid in mundo, sed solum propter divinum obsequium. *Utuntur enim hoc mundo tanquam non utentes*, ut dicitur 1 Cor., vii. Unde Jac., i, 27, postquam dictum est : *Religio munda et immaculata est visitare pupillos et viduas in tribulatione*, subditur : *Et immaculatum se custodire ab hoc seculo*, ut scilicet affectus in rebus seculi non detineatur.

(2, 2, q. CLXXXVIII, a ii.)

De litterarum studio.

Competit studium litterarum religiosis tripliciter :

I. — Quantum ad id quod est proprium contemplativæ vitæ, ad quam studium litterarum dupliciter adjuvat : uno modo directe coadjuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum. Vita enim contemplativa principaliter ordinatur ad considerationem divinorum, in qua dirigitur homo per studium ad considerandum divina. Unde in laudem viri justi dicitur in Ps. I, 2, quod in *lege Domini meditabitur die ac nocte*, et Eccli., XXXIX, 1, dicitur : *Sapientiam antiquorum exquiret sapiens et in Prophetis vacabit.*

Alio modo studium litterarum juvat ad contemplativam vitam indirecte, removendo contemplationis pericula, scilicet errores qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his qui scripturas ignorant, sicut in collationibus Patrum legitur quod abbas Serapion propter simplicitatem incidit in errorem anthropomorphitarum, id est eorum qui Deum habere humanam formam arbitrantur. Unde dicit Gregorius quod « nonnulli,

dum plus exquirunt contemplando quam capiant, usque ad perversa dogmata erumpunt, et dum veritatis esse discipuli humiliter negligunt, magistri errorum fiunt ». Et propter hoc dicitur Eccle., II, 3 : *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam devitaremque stultitiam.*

II. — Necessarium est studium litterarum religiosis institutis ad prædicandum et alia hujusmodi exercendum. Unde Apostolus : *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Nec obstat quod Apostoli absque studio litterarum ad prædicandum sunt missi, quia, ut Hieronymus dixit : Quidquid aliis exercitatio et quotidiana in lege Dei meditatio tribuere solet, hoc illis Spiritus sanctus suggerebat.

III. — Studium litterarum religioni congruit quantum ad id quod est omni religioni commune. Valet enim ad vitandum carnis lasciviam. Unde et Hieronymus dicit ad Rusticum monachum ; Ama Scripturarum scientiam, et carnis vitia non amabis. Avertit enim animum a cogitatione lasciviæ, et carnem macerat propter studii laborem, secundum illud Eccli., XXXI, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.*

Valet etiam ad auferendam cupiditatem divi-

tiarum. Unde Sap., VII, 8 : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius* : et I Macch., 12, dicitur : *Nos autem nullo horum indiguimus*, scilicet exteriorum subsidiorum, habentes solatio sanctos libros, qui in manibus nostris sunt.

Valet etiam ad obedientiæ documentum. Unde Augustinus dicit : Quæ est ista perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare ?

(2, 2, q. CLXXXVIII, a V).

De operibus religiosorum.

An religiosorum opera sint præferenda operibus eorum qui saluti animarum vacant ?

Dicendum quod duo opera possunt multipliciter ad invicem comparari : Uno modo secundum genus suum sicut dicimus continentiam virginalem præeminere in bono continentiæ viduali. Et hoc modo vita activa est fructuosior quam contemplativa, sed contemplativa merito major est quam activa. Zelus etiam animarum est sacrificium Deo acceptissimum, si tamen ordinate fiat, ut scilicet primo habeat curam salutis suæ et postmodum aliorum. Alioqui *nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.*

2° Præfertur opus operi ex voluntate facientis. Quod enim promptiori voluntate fit, melius judicatur, et ille qui ex ferventiori charitate operatur, opera magis meritoria habet.

3° Potest opus operi comparari non secundum se, sed in ordine ad alium actum, sicut abstinentia præfertur sumptioni cibi ; tamen sumere cibum cum aliquo propter charitatem præfertur abstinentiæ.

Sic comparata, opera religiosi sunt incomparabiliter eminentiora operibus eorum qui vacant saluti animarum. Ea enim quæ religiosi agunt, ad illam radicem referuntur, qua totam vitam suam Deo devoverunt. Unde non est pensandum quid faciant, sed magis quod ad quælibet facienda se devoverunt. Et sic quodammodo comparantur ad eos qui aliquod singulare bonum opus faciunt, sicut infinitum ad finitum. Qui enim dat se alicui ad faciendum omnia quæ jubet, in infinitum magis se dat ei quam ille qui dat se ei ad aliquod opus faciendum. Unde supposito quod religiosus secundum exigentiam suæ religionis faciat aliquod opus parvum secundum se, tamen recipit magnam intensionem ex ordine ad primam obligationem qua se totum Deo vovit.

4° Si comparentur ipsa opera secundum se, sic aliqua particularia opera quæ faciunt cæteri sacerdotes sunt majora aliquibus particularibus

operibus quæ religiosi faciunt, sicut est majus intendere saluti animarum quam jejunare vel silentium tenere, vel aliqua hujusmodi.

Si tamen omnia omnibus comparentur, multo majora sunt opera religiosorum. Etsi enim procurare salutem aliorum sit majus quam intendere sibi soli, loquendo in genere, tamen non quocumque modo intendere saluti aliorum præfertur ei quod est quocumque modo intendere suæ saluti. Si enim aliquis totaliter et perfecte intendit suæ saluti, multo majus est quam si aliquis multa particularia opera agat ad salutem aliorum, si saluti propriæ, etsi sufficienter, non tamen perfecte intendat.

(*Quodlib.* III, q. V, a. 1.)

De fidelitate.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Apoc., 11, 10.

1° *Esto fidelis*, id est serva fidem. Quasi dicat: tu semper esto fidelis id est serva fidem seu fidelitatem, sicut uxor viro, servus domino, amicus amico. Fides quam debet uxor viro est ut nulli alii adhæreat. De qua Ose., 2: *Sponsabo te mihi in fide.*

Fides quam debet servus domino suo est ut

res suas bene colligat, bene custodiat, et bene distribuat. De qua fide dicitur Luc., 12 : *Quis putas, est fidelis dispensator et prudens?* I Cor., 4 : *Jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Fides quam debet amicus amico est ut omni tempore ei adhæreat, et non relinquat eum tempore necessitatis. De qua Eccl., VI : *Amicus fidelis fortis protectio : qui invenit illum, invenit thesaurum.* Amico fideli nulla est comparatio. Et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.

Usque ad mortem inclusive. Quasi dicat : etiam pro morte vitanda non dimittas fidem tuam. Eccl., 4 : *Usque ad mortem certa pro justitia.*

2° *Et dabo tibi coronam vitæ*, id est vitam interminabilem vel vitam regalem vel *coronam vitæ* id est honorem semper viventem, qualis non est corona mundi. De qua Sap., 2 : *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, id est honore mundano, cito perituro. Isa., 28 : *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim et florî decidenti.* Rosæ sive flores de quibus fit corona sunt divitiæ temporales, deliciæ carnales, honores sæculares. De quibus Jer., 48 : *Date florem Moab*, quia flos egredietur nullum ferens fructum. Hanc coronam dat mundus victoribus suis. Primam dat Christus victoribus suis.

(*In Apoc.*, 11.)

INDEX MEDITATIONUM

TOMI SECUNDI

—

De Deo.

De excellentia divinæ naturæ 1
De Visitatione B. Virginis. 3
De fructu cognitionis Dei 6
De præsentia Dei ubique 7
De immutabilitate Dei 10
De consideratione Dei Creatoris. 12
De Gubernatore omnium 15
Deus Pater noster. 17
De amore Dei 19
De triplici cœna 22
De hominum vocatione. 24

De vita purgativa.

De tenebris et umbra mortis. 26
De vulneribus ex peccato consequentibus 28
De peccati infirmitatibus 30
De macula peccati. 32

Peccatum potest esse pœna peccati 35
Peccatum ad pœnam obligat. 37
De peccato veniali et mortali 38
De pœna æterna 41
De peccatis spiritualibus 43
Qui peccat ex malitia gravius peccat. 45
Gravius peccatur in majorem personam. 47
Magnitudo peccantis aggravat peccatum 49
De felicitate in hac vita non quærenda 51
De sacramento pœnitentiæ 54
De reliquiis peccati 56
De contritione 57
De duratione contritionis 60
De vitanda sollicitudine et de uno quærendo. . . 62
Insigne beneficium a peccato surgere. 65
De necessitate habendi cor suum in Deo 67
De defectu spei 69
De pravo sui amore 71
De stultitia 73
De acedia. 75
De imprudentia 77
De transfiguratione Christi 80
De præcipitatione. 82
De negligentia 83
De intemperantia. 86
De luxuriæ filiabus 88
De modo luxuriam vincendi. 90
De superbia 92
De superbiæ gravitate 93
De initio omnis peccati. 96
De assumptione B. V. M. 98
De modo cavendi superbiam 100
De inani gloria. 102
Quod inanis gloria sit vitium capitale 105

De vita illuminativa.

De vestimentis virtutum. 107
De virtute vera et magna 110
De fidei bonis et necessitate 112
De fidei effectibus. 115
De spe. 117
De excellentia charitatis 119
De timore Domini. 122
De virtutibus cardinalibus 124
De prudentia 126
De justitia 129
De fortitudine 132
De temperantia. 134
De virtute religionis. 137
De interioribus religionis actibus 139
De devotionis causa et effectu 142
De orandi modo 145
Sine intermissione orandum 147
De sacrificiis Deo offerendis 150
De necessitate humilitatis. 152
Homo debet se omnibus subjicere 154
In festo Nativitatis B. V. M. 156
De humilitate sequenda exemplo Christi 158
De patientia. 161
De bono tribulationum 163
De charitatis præceptis. 166
De præcepto circa amorem proximi 168
De morte crucis 170
De mutua dilectione. 172
De novo dilectionis mandato. 174
De dilectione proximi perfecta 176
De inimicorum attractione. 177
An misericordia sit maxima virtutum 179
De legis amoris quadruplici bono 182

De cæteris legis amoris utilitatibus 184
De dilectione Dei 187
De quatuor ad Dei amorem necessariis 189
De possibilitate perfectæ charitatis 191
De charitatis augmento. 193
De triplici gradu charitatis 196
De acquirenda et augenda charitate 198
De amore boni summe delectabilis. 200
De causis amoris 202
De profectu amoris 205
In festo sanctissimi Rosarii 208
In festo Maternitatis B. V. M. 210
In festo Puritatis B. V. M. 212
In festo Dedicationis. 215
De amoris effectibus 217
De Angelis custodibus 219
De signo veri amoris 222

De vitâ unitiva.

De amicitia inter Deum et hominem 225
De adhærendo Deo per amorem 227
De miro amoris privilegio. 229
De divina manifestatione ad diligentem 231
De via ad inveniendum Jesum 234
De interna mentis illuminatione 237
De gaudio spirituali 240
De pace 242
De præparatione ad vitam contemplativam. . . . 245
De excellentia vitæ contemplativæ. 247
De quærenda beatitudine in vita cum Deo 249
De merito vitæ contemplativæ 252
De videndis in contemplatione 254
De manna abscondito 256
De refectione spirituali. 259
De suavi experientia divinæ bonitatis 261

De adventu divini solatii 263
De contemplationem impedientibus 265
De familiaritate divina 267
De modo addiscendi secreta divina 269
De contemplationis effectibus 271
De modo revocandi divinam dulcedinem 273
De perfectione christianæ vitæ 276
De perfectione quæ est de necessitate 278
De perfectione quæ cadit sub consilio 279
Perfectio in præceptis consistit. 282
De consiliis evangelicis. 284
De perseverantia 287

De novissimis.

De Sanctorum felicitate 289
De Purgatorio 291
De purgatorii pœnis. 293
De sanctorum invocatione. 295
De Sanctorum intercessione pro nobis ad Deum. . 298
De fide resurrectionis mortuorum 300
De necessitate finalis judicii 302
De causæ discussione in judicio. 304
De timore judicii 307
De summi Judicis potestate 309
De ultimi judicii tempore. 311
De morte æterna 314
De pœnis damnatorum. 316
De damnatorum intellectu. 318
De damnatorum voluntate. 320
De æternitate supplicii damnatorum 323
An sit credenda vita æterna 326
De visione Dei immediata 328
De vita æterna 330
De variis gradibus visionis divinæ. 333
De conversatione B. Virginis. 335

De beatitudine 337
De gradibus beatitudinis 339
De perfectæ beatitudinis inamissibilitate 342
De quadruplici visione Domini 344
De æterno gaudio 346
De ingrediendo festinanter in requiem 349
De Cœna magna 352

Pro exercitiis spiritualibus.

De voce Dei vocante 354
De prima charitate recuperanda 355
De morte secunda 358
De statu perfectionis 360
De utilitate votorum 362
De bono usu temporis 364
An paupertas requiritur ad perfectionem religionis. 366
An obedientia pertineat ad perfectionem religionis. 368
De necessitate trium votorum 370
Perfectio religionis in tribus votis consistit . . . 371
Votum obedientiæ est potissimum inter tria vota 373
De peccato religiosorum et sacerdotum 375
Quomodo religiosus levius peccet et facilius resurgat 377
De operibus vitæ activæ 378
De litterarum studio 381
De operibus religiosorum 383
De fidelitate 385

Imprimerie Bussière. — Saint-Amand (Cher).



GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.